HISTORIAE MEDICINAE UNIVERSALIS PERIODUS TERTIA ET QVARTA.

Qua

Univerſa res Medica *GRAECORUM* ab *Aeſculapii* temporibus ad Magnum usque *Hippocratem* diſcutitur.

PRAEMISSA PRAEFATIONE

Dictatoriis *Cenſorum* quorundam *Hallenſium* criſibus, quibus non modò *duas priores Hiſtoriae Medicinae Univerſalis*, nuper demum ab Auctore editas, partes, ſed & *Obſervationes* Ipſius, *Exercitationibus Francofurtenſibus* inſertas acriter perſtrinxerunt, oppoſita.

AUCTORE

ANDR. OTTOM. GOELIKE,

MEDICO ET PROFESSORE REGIO.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Apud JOHANNEM GODOFREDUM CONRADI,

MDCCXVIII.

PRAEFATIO
ad Lectorem.

INter varias cogitationes, quas hiſce diebus ſub umbris ramoſae tiliae in *Horto* noſtro *Academico* conſidens, animo volvebam ac revolvebam, variae quoque viſiones, quas olim adoleſcens in *Philandro à Sittenwald* legeram, neſcio, quo caſu, in memoriam mihi recurrebant. Mirabar prima fronte, phantaſiam res, de quibus proximis viginti quinque annis ne ſomniando quidem cogitaveram, aequè vividè offerre animo potuiſſe, ac ſi reâpſe ante organa ſenſuum verſarentur.

rentur. Mirabar, inquam, prima fronte; Sed, re penitus expenſâ, cogitabam, fortaſſis inſolitam & planè ex improviſo ſubrepentem viſionum talium reminiſcentiam non fore ſine omni praeſagii nota, potiſſimum cùm alio jam tempore inſolitae cogitationes, quae quaſi citra omnem rationem & veluti ἀπὸ μεχανῆς mentem meam occupârunt, plerumque certorum eventuum nunciae fuerint. Interim dum hiſce ſpeculationibus immoror, praeter omnem expectationem placidus me ſomnus obruit. Sicuti autem quies iſta corporis varias rerum antea meditatarum imagines animae offerre denuò ſolet: Ita non mirum eſt, inſomnia viſionibus iſtis haud multum diſſimilia in me exorta fuiſſe: Videbar nempè mihi in ſomno videre *Apollinem*, in throno quaſi regio conſidentem & *Muſarum* choro undique circumdatum. In his aliquot *Muſarum* filios togis, variis coloribus interſtinctis populorum orientalium more amictos prae reliquis eminere obſervabam. Ego verò novae rei raritate perculſus, cùm non intelligerem, quid iſta ſibi vellent, ex

eo,

eo, qui proximè mihi adſtabat, ſciſcitabar: Quales eſſent homines iſti togati, & cur veſtimentis, diverſis coloribus diſtinctis amicti incederent? Ille verò promptè mihi regerebat, viros eſſe Profeſſoria dignitate eminentes atque conſpicuos, quorum ille, qui nigrâ toga indutus incederet, dogmata credendorum ac faciendorum, qui verò togis variis coloribus diſtinctis amicti eſſent, partim Jura, partim artem medendi, partim verò variam ſapientiam, divinam pariter atque humanam Juventuti Academicae inculcarent. Hiſce interim ſic fientibus cernebam in medium procedere viros iſtos togatos, omnesque populorum rurſus Orientalium ritu in genua ipſamq; faciem procumbere, deinde verò, parvâ morâ interjectâ, denuò adſurgere, ac ſummo *Apollini* ſubmiſſisſimâ voce ac geſtibus ſcriptum exhibere, quo ſe omnium Virorum Doctorum, in univerſa Europâ degentium opera cenſuiſſe & errores in illis commiſſos in lucem protraxiſſe, ipſimet palam profitebantur, addentes, ſibi propterea non lauri quidem frondes, quibus illorum tempora

cingenda eſſent, deberi, ſed contentos fore, ſi cuilicet illorum pro officio tàm utili atque neceſſario, Reipublicae literariae exhibito, non contemnendus frumentorum acervus decerneretur. APOLLO verò, cùm vix priores *Praefationis* lineas caperata fronte perlegiſſet, & mox in limine varia oſtentationis vanae, ambitionis, philautiae, odii, invidiae, aemulationis aliorumque vitiorum, ordini Eruditorum uſque adeò familiarium, ſpecimina offendiſſet, indignabundâ, ſimul tamen Majeſtaticâ, ut tonitru mihi exaudire viderer, exclamabat voce: Quis vos, ô Cenſores, eâ auctoritate inſtruxit, ut, omni propemodùm modeſtiâ depoſitâ, immaturis veſtris judiciis atque cenſuris *Muſas* meas perturbaretis atque virorum doctrina non minus quàm virtute eminentium labores tàm acriter perſtringeretis? Anne ſordidorũ ulcerũ plenae ſunt illae ipſae obſervationes, quas ante complures jam annos nonnulli veſtrûm ediderunt? In his repurgandis ac mundificandis operam veſtram longè utilius collocare; Hîc *ſal veſtrum ſatyricum*, uti ſuperbè comminati

minati eſtis, inſpergere potuiſſetis, ac intereà, quod veſtrâ parum vel nihil referebat, miſſum facere. Apage, apage, talia; Non frumentorum acervi, ſed paleae vobis debentur, paleae, inquam, & nihil aliud. Quibus praeter omnem ſpem auditis, iſti togati pudore atque confuſione ſuffuſi, alius horſum, alius illorſum, alius dextrorſum, alius ſiniſtrorſum clanculum ſeſe ſubripuerunt &, qua datâ portâ, evaſerunt, ipſis quoque togis, ne *fortè* in fuga impedirentur, ſumma celeritate comprehenſis & arctius reliquo corpori ſuccinctis. Ego interim, neſcio quo ſtrepitu excitatus, ſenſim ad me redii, & ſenſibus denuò collectis, fores Horti medici â quôdam pulſatas exaudivi, & ecce! Dum aperio januam, intrare video famulum quendam officinae librariae mihi aliâs ſatis notum, qui novam porrigit *Bibliothecam*, cui *mixtae* (vernacula noſtrâ vermiſchte Bibliothec) nomen imponere placuit Dn. Auctoribus, quâ obiter inſpectâ in publicum prodiiſſe hôc annô, quòd felix fauſtumque ſit! animadverto, *Halis Magdoburgicis* novã *Societatem literariam*,

 ea le-

ea lege, ut ex libris maximam partem novis ac recens editis, ſubinde tamen etiam antiquis rarioribus, non modo adcuratam atque fidelem relationem publicae luci ſiſtant, ſed & de argumentis tractatuum editorum, eorundem ſingularibus vel novis inventis, conſenſu ac diſſenſu Auctorum, eorundemque principiis, ratiociniis imò ipſo quoque *ſtylo*, ſine dubio *Romano* (quod rarum) judicioſam ferant cenſuram. Eheu! Quanta poſtulata, ad quorum nudum ſonum meritò exhorreſcebam! Talia enim omnia uno in homine reperiri, noſtra aetate miraculo proximum fuerit. Quare cùm impoſſibile id quodammodo ipſi *Novo Ordini* viſum fuerit, hunc laborem ita diſpertiri conſultum eſſe duxit, ut *Res Theologicae Theologo*, *Jurisprudentiam* & *elegantiores literas* concernentes *JurisConſulto* atque *Philoſophis*, *res* autem *medicae medico* dijudicandae concrederentur; Additâ tamen ſolemni proteſtatione, ſe licet decenti libertate, literatis omnibus pleniſſime indulgenda, ubique ſint uſuri, neminem tamen unquam praeter meritum laeſuros

ſuros eſſe, id quod & Symbolum tabulae aeneae inciſum adpromittit: *Libertate frui cupimus, non laedere quemquam.* Nihilo ſecius tamen expertorum Medicorum vel Chirurgorum mores ſubinde imitaturos novos Cenſores, qui vulnus vel ulcus à ſua ſorditie penitius liberaturi acre quoddam atque cauſticum ſal nonnunquam inſpergere iisdem conſueverunt; Id quod *ſalis Satyrici* nomine ipſis enunciare placuit. Interim callidè ſubolfacientes, recentia vulnera acerrimi ſenſus eſſe & ſucceſſu demum temporis calloſa & indolentia evadere; Non immeritò metuunt, ne acriori ſuo ſatyrico ſale crabrones undique irritando, tantum non omnium indignationem in ſe provocent. Itaque certamen quidem non detrectant, eâ tamen iterum circumſpectione & providentia, ut ſuarum quisque actionum rationes reddat. Sed nomina ſua reticere, quod quis non vanum meticuloſitatis ſignum interpretaretur, e re ſuâ judicarunt Cenſores; Qvid ergo? An andabatarum more depugnandum? An verò gladius ſtrin-

gendus contra ignotum, qui vel homo obſcurus vel ſaltem DEUS minorum gentium eſſe poteſt? Quod ſi enim talis quis fuerit, ego ſaltem enſem non evaginabo, aut jam ſtrictum denuò intra vaginam ſuam recondam. Interea curioſitatem noſtram aegrè non ferent aut vitio nobis vertent *acutisſimi Cenſores*, quod nomina ipſorum reſcire prius cupiamus, quàm in arenam cum Ipſis deſcendamus. Ipſimet enim omnem movent lapidem, ut nomina Auctorum, quos cenſurae ſuae ſubjicere moliuntur, explorent, licet ignoti eſſe deditâ operâ maluerint. Quod igitur ſuis ipſimet exemplis probant, in aliis improbare nefas foret. Aſt quid opus eſt laborioſô iſtô ſcrutinio? En vobis luſcam illam foeminam, à ſiniſtris in tabulâ aenea repraeſentatam, quae, licet oculos linteo obvelatos habeat, digito tamen monſtrat coeca coecum quendam literarum ductum, ex quô Cenſores noſtros cognoſcere non erit difficile: Atque hi ſunt heroes iſti, qui martiali vultu & fronte, uti facilè cogitare fas eſt, in aſperitatem plus quàm Catonicam cor-

corrugata, omnes eruditorum Ordines, ubicunque in univerſo terrarum orbe degant, certatim ad pugnam literariam provocant. Hi ſunt, qvi omnia omnium Facultatum ſcripta ſive antiquiora ſive noviora aut in poſterum demum proditura, virgulâ cenſoriâ notabunt; Hi decempedam quandam univerſalem poſſident, ſecundum quam, ut agrimenſores omnem fundum, ſic Hi OMNE SCIBILE dimetientur. Aſt fortè alii aliter interpretabuntur artificioſum literarum ductum, quem exertô digitô praemonſtrat mammoſa mulier, vel potius ſanctiſſima virgo, quam *Juſtitiam* vulgò dicunt. Eſto; Aliud mihi ſuccurrit medium, Auctores *Cenſurarum Hallenſium* detegendi, idque tantis Heroibus apprimè dignum; Quodnam? Si linguâ Romanâ, eruditis omnium ſeculorum ſolemni, ſcripſiſſent. Hôc enim ſolô criteriô ante qvinquennium primus detexi *Halae Auctorem* ſcripti cujusdam, quod multis deinde motibus anſam ſubminiſtrabat. Artificium raro fallax eſſe, hiſce adhuc diebus mihi officinam librariam viſitanti, experi-

perientia comprobavit: Occurrebat enim liber in 4to. argumenti medici, *phyſiologico-diaetetici*, quem ſtatim ac inſpexeram atque unam vel alteram paginam perfunctoriè perlegeram, mox Auctor & nauſeabundis ſuis *tautologiis* & odioſis idiotismis & inuſitatis *phraſiologiis*, ut ſorex ſe prodebat, imo, niſi res cenſore publico indigna fuerit, vitiis non levibus ipſum *Priſcianum* moleſtiſſimè adficientibus, ſcriptum ſuum conſpurcaverat. Hac igitur eruditorum linguâ ſi cenſuras ſuas ſcriptitaſſet nova ſocietas, cunctis hiſce ambagibus non fuiſſet opus. Interim dies diem docebit. Mihi verò, Dominorum Cenſorum pace, liceat pauca quaedam, quae *Praefatio miſcellaneae Bibliothecae* praemiſſa (in quam ſine dubio conſenſerunt omnes) mihi peperit, quaeq; inprimis ſcopum ſcriptionis concernunt, dubia proponere. Vehementer quidem doleo, ad acerbum hoc ſcribendi genus deſcendendum mihi fuiſſe, ad quod quippe non niſi invitus, & quod vulgò ajunt, crinibus quaſi pertractus fui: Aſt, cùm omni propemodū modeſtiâ poſthabitâ, quoslibet

libet promiſcuè ad pugnam literariam provocent, ingentique faſtu comminentur, ſe *ſale ſuo ſatyrico* conſperſuros omnes illos, qui ad illam *Cenſorum* decempedam ſuam eruditionem non ſint dimenſuri: Hinc, impetus talis ut quodammodò reprimeretur, ſumma efflagitabat neceſſitas. Proteſtantur primum quàm ſolemniſſimè, qui in hanc Societatem nuper coivêre, quod eandem non ſtabiliverint vel gloriae aucupandae ergò (Ipſorum enim nomina orbi erudito jam dudum ſatis innotuiſſe) vel pecuniae adquirendae cauſa (omnibus enim aliunde jam ſuppetere, ex quo vivant) nec temporis fallendi cauſa (ordinariam enim functionem ſat laboris cuilibet injunxiſſe) ſed ſolo amore publico inſerviendi & ſcientiarum augmenta promovendi. Superciliosa profectò ſcribendi ratio! Quae ſi viſa fuiſſet celebri *Lipſienſium Menckenio*, Ille ſine dubio *Declamationibus* ſuis de *Charletaneria Eruditorum* eandem inſerturus & tanquam infallibilem *vanitatis circulatoriae* ſpeciem lautè exſibilaturus fuiſſet. Quis enim ignorat, hôc vel ſimili propemodum

dum modô Spectatores ſuos adloqui circumforaneos & agyrtas? Quod in ſcenam hanc prodierim, Amici, ſalus veſtra eſt, quae me permovit: Non me angit deſiderium crumenas veſtras emungendi; Hâc enim me non indigere, inde vobis colligere arduum non erit, quod & purpura & auro, & argento & gemmis undique me fulgere videatis. Neque eſt, quod vanam ambitionem aut gloriae cupidinem me induxiſſe credatis; Vix enim imperium licet vaſtiſſimum, vix regnum, vix Principatus, vix urbs celebrior eſt, quae nomen meum ignoret. Et ut tantò efficacius de meâ ſinceritate convincamini omnes, en vobis hanc pyxidem, quae recondit pretioſiſſimum vitae balſamum, panaceam Univerſalem, qua ad centum imò plures annos vitam veſtram ſine incommodo producere queatis, en, inquam, hanc pyxidem, quam gratis vobis offero &c. Quicquid verò horum omnium ſit, ego certè harum rerum participem me non faciam; Id interim diſſimulare nequeo, primum eumque ſatis rudem *Cenſorum* impetum ſuſtinere coactas eſ-

ſe

ſe *Exercitationes Francofurtenſes.* Vindicent autem alii, quod ſuum eſt, ego, quod mihi objectum eſt, ſolide, niſi fallor, diſcutiam. Quanquam autem animus initiò non fuerit, ea quoque ventilandi dubia, quae adverſus obſervationes meas, *Exercitationibus Francofurtenſibus* inſertas objecta ſunt: Mutavi tamen poſteà conſilium, exiſtimans, duos parites unâ fideliâ ſatis aptè dealbari poſſe. Neque tamen commodius id fieri poſſe putavi, quàm ſi vernaculum *Cenſorum* textum, ubi hiſtoriam medicinae, cujus *duas priores periodos* nuper edideram, ſtringere videtur, brevibus atque ſuccinctis notulis illuſtrarem, ſimulque pro re nata acrioribus, ubi opus fuerit, cenſuris perſtringerem atque ita cenſendi pruritum quodammodò extinguerem.

Titulus *Praefationis* promittit judicia pravorum adfectuum vacua; (unparthenyiſche Gutachten) Et ita quidem fieri oportebat; Debebamus eſſe virgines. Nihil enim magis hiſtoricum decet, quam ingenuitas, candor, inprimis vero animus, coecarum paſſio-

ſionum expers. Aſt Cenſores noſtri ſimiles eſſe videntur malis Theologis vel perverſis morum Doctoribus. Aliud dicunt, aliud faciunt. Coecus ſit oportet, qui non hîc & illîc invidiam aliaque pravorum adfectuum monſtra elucere animadvertat. Evomit judicia, qui animum ita comparatum adfert.

Uti vero talia judicia literarum incrementis potius obſunt quàm proſunt: Ita ſua utique utilitate non carent publicae librorum cenſurae, ſi à prudentibus, circumſpectis & omnigenâ eruditione pollentibus viris proficiſcantur. Solidum enim judicium, de aliorum laboribus latum, intellectum acuit: Superficiarium vero vel falſum vel paſſionibus temeratum eundem corrumpit. Coeterum in eô pleniſſimè conſentio, quod multi ad graviſſimum *docendi* munus citatis quaſi paſſibus ruant, qui, ut ab aliis prius inſtruerentur, opus haberent. Quis verò neſcit, intempeſtivum iſtum docendi pruritum in plerisque Germaniae Academiis usque adeò hodiè invaluiſſe, ut, quae medicina

tanto

tanto malo opponi debeat, vix ac ne quidem perſpicere amplius liceat. Qui hodiè viliſſimo cinifionis officio perfunctus eſt, cras vel perendiè ad lectiones tàm publicas quàm privatas invitat Auditores. Rationem ſi quis reſcire cupiat, haec eſt: Quia vernacula incautis ex ſchedula id praelegit immaturus Doctor, quod haud ita pridem in calamum ipſi dictitaverant Praeceptores. Hinc tantum imperitorum hominum numerum illotis manibus pedibuſque, addo ego, illoto quoque, ſi ita loqui liceat, cerebro, ad graviſſimam docendi provinciam proruppiſſe animadvertimus, quos, cum vernaculâ omnia proponeee obſervaremus, per contemptum deutſche Michels vocavimus. O ingentem barbariem! Cui fortè citius medicina non parabitur, quàm ſi mala, quae per longas jam moras invaluêre, nullum amplius remedium admiſerint.

Itaque ad haec literatorum mala radicitus extirpanda in novam denuò ſocietatem coivêre Doctores qvidam Hallenſes, ea potiſſimùm intentione atque ſcopo, ut de libris recens editis

)( )(ſive

ſive bonis ſive malis, ne ipſo qvidem ſtylo neglecto, liberum nulloque fuco corruptum ferant judicium, ita tamen, ut nomina Cenſorum, Erudito Orbi jam aliunde ſatis notorum, maneant tantiſper ignota. Aſt niſi me omnia vehementer fallant, maxime mihi vero ſimile eſſe videtur, novo huic ordini condendo primam dediſſe occaſionem *Exercitationes Francofurtenſes*, id quod non difficulter iis perſuadebimus, qui rem omnem, prout geſta eſt, exactius penſitaverint. Ideò nullis pepercêre laboribus Cenſores, ut (quod ipſimet non diſſimulant) ſingularum *Exercitationum* ſingulos detegerent Auctores. Non caret ſuo fructu exquiſita iſta curioſitas. Nemo fortaſſis probro dabit tribui *ſartorum*, ſi undique concurrant, audientes, ex Anglia vel Gallia novum artificem novos veſtium modulos adportaſſe. Metuunt enim, idque jure, ne ſuis inde commodis aliquid detrahatur. Quare tempeſtivè cogitant de mediis, quibus laudabiles *novitii* conatus ſupprimantur, ne emergat. Quis verò *Demetrio* vitio vertebat, quod cum univerſo Aurifabrorum

rum

rum coetu ad ravim uſque clamitaverit: MAGNA EST DIANA EPHESORUM! Oporteret verò hoſpitem eſſe in Republicâ literariâ, qui mores literatorum ab hac opificum mechanicorum conſuetudine alienos eſſe vel plane abhorrere praetenderet. Quid autem juvabit Libros nullius momenti ſemi-eruditorum cenſuiſſe? Mallem ego, chartae ac ſumptibus parcerent, qui inutilem talem laborem ſuſceperunt: Non enim reportabunt gratiam, labore ſuo dignam. Quia neminem uſque adeò coecum eſſe crediderim, qui Zizania à tritico diſcernere nequeat. Cur verò deliteſcere quàm nomina ſua profiteri malint, nullam quidem rationem adhucdum perſpicere poſſum; Interim theatralis eſſe mihi videtur propoſitio, iſti haud abſimilis, quam inter *circulatoriae vanitatis* ſpecies forte referret Menckenius. Callidè verò (poſt principia) latent; Metuunt enim, ne ob dictatoriam judicandi non tam *libertatem*, quàm *licentiam* juſtiſſimos aliquando, quos meruerunt, poenas luere cogantur. Itane vero Dictatores noſtri etiam *ſtylum*, puta

Romanum, cenſebunt? Ita quidem videtur: Quanquam ingratiſſimo barbarae latinitatis ſtridore aures meas multoties à nonnullis illorum perculſas eſſe probè meminerim. Ohe! Quanta eſt iſta arrogantia? Ex quo magnus occubuit *Cellarius*, ſplendidum omnis politioris literaturae lumen in univerſa propemodum Germania extinctum eſſe, & fatentur & lugent omnes boni. Nullibi in hactenus editis *Bibliothecae Miſcellaneae* partibus ulla critici acuminis veſtigia adparent, niſi fortè in eô criticam ſubtilitatem quis quaerere velit, quod *Struvio*, & *Auctori introductionis in Jus Saxonicum* minutiae quaedam Grammaticales non ſine tacito ſarcaſmo fuerint exprobratae, *illi*, quod pleroſque ſuos tractatus per τὸ *Siſtimus* inceperit, *Huic* vero, quod *unius affirmationis* loco *duabus negativis particulis* ſaepius uſus fuerit, cùm aliâs in ſcholis trivialibus notiſſimum ſit, *duas negativas uni affirmativae ſemper aequipollere.* Quô itaque loco Cenſorum noſtrorum conteſtatio, ſe nemini quidem adulaturos, neque tamen etiam praeter meritum & dedita quaſi opera quenquam

laeſuros

heſuros eſſe, habenda ſit, ipſimet videant! Verba ſunt, praetereaque nihil. Aliud dicunt, aliud faciunt. Solemniſſimè proteſtabuntur *Struvius* & *Mollenbeckius*, quorum utrumque infra *Profeſſorii muneris* decus acerrimè perſtrinxerunt. Meminiſſe ſemper oportebat Symboli:

Libertate frui cupimus, non laedere quenquam.

Id ſi cordi habeant Cenſores, cui quaeſo bono ſal ſatyricum, ſordidis aliorum vulneribus inſpergendum? Scio quidem, *Salanam* abundare *ſalinis*. Aſt vereor, ne illud nimis quippe craſſum uſibus tantùm culinaribus aptum ſit: Noſtra autem *Viadrina* ſal quoddam ſubminiſtrat, quod *aeſtum pruriginoſum cenſendi* egregiè demulcet atque contemperat. Id ſi praeter omnem noſtram expectationem fructuum ſperatorum expers fuerit, acrius parabimus lixivium vel planè ſaponem ſatyricum, lixivio paulò acriorem, quo Cenſorum noſtrorum capita inpoſterum abluemus, niſi reſipiſcant; Imitaturi mores prudentum medicorum, quibus nonnunquam in deſperatis quibusdam adfecti-

bus, mitiorum paregoricorum vim eludentibus, ad corroſiva atque cauſtica, quinimo ferrum, ignem atque flammam accedendum eſt.

Ne quis vero, poſt principia latere Noſtros, temere ſibi perſuadeat, integrum atque liberum cuivis relinquunt, ut, non quidem promiſcue cum omnibus, ſed cum eô, à quo ſe laeſum eſſe exiſtimat, pugnam ineat. Atque adeo certaminis inter duos (*Duellum* barbarè vocant) leges ſtrictiſſime híc obſervant Cenſores, etiamſi probe ſciant, *Edictis publicis* ſeveriſſimè id prohibitum eſſe: *Schedulae* enim *provocatoriae* vices praeſtant cenſurae atque judicia, quae de Virorum doctorum laboribus ferunt. An verò, quod promittere videntur, ſalutaribus aliorum monitis aures auſcultatrices praebituri ſint, tempus docebit.

Nunc verò, hiſce circa *Praefationem Bibliothecae Mixtae*, in quam, ut anteà jam monui, ſine dubio conſenſerunt omnes, in genere praemiſſis, accedo ad ſolutionem objectionum, quae contra *duas priores hiſtoriae Medicinae*, à me nuper concinnari coeptae, *Periodos*

Periodos formatae ſunt. Exiſtimat autem Cenſor meus, *hiſtoriam medicinae Hebraeorum antediluvianam* nullum hîc locum invenire poſſe; Et credo certè, manus hîc comploſiſſe eundem, quod idem ſibi inveniſſe viſus ſit, quod *pueri in faba.* Si verò animum odii, invidiae ac prurientium adfectuum vacuum ad textus lectionem attuliſſet, abſque hâc cenſurâ me procul dubio dimiſiſſet. Qvis ideò notavit *Buddaeum*; quod Philoſophiam *Ebraeorum* ab ipſo *Adamo* derivare auſus fuerit? Cur verò mihi pariter non liceat, primas Medicinae *Hebraeorum* origines à *Patribus antediluvianis* repetere? Cùm *hujus* longe major, quam *illius* excolendae fuerit neceſſitas, imò & antiquitas. Sed ante diluvium *Hebraei* non fuerunt; E. hiſtoria Medicinae *Hebraeorum* antediluviana eſt non Ens. E. tempora & ante & paulò poſt diluvium *Hebraeis* non propiora, quàm *Germanis* vel cuicunque alii populo eſſe poſſunt. Verùm ſciendum eſt, ad nullam aeque gentem antiquiſſima ſapientiae humanae monimenta *per traditionem* tranſmiſſa eſſe, quàm qvidem ad *Hebraeos*,

utpote

utpote à quibus demum ad alios populos propagata ſunt. Itaque abſurdum non eſt, à Patribus ante & poſt diluvianis prima Medicinae *Hebraeorum* initia derivare. Fuit ſanè *Spinoſismus* ante *Sbinozam*; Et fuit quoq; *Hebraeorum* Medicina, *priusquam* Hebraei exiſterent.

Aſt haec ipſa conſideratio novam ſuſpicandi materiem ſuppedita Dn. Cenſori, quaſi nempè pleraque, quae de Medicina *Hebraeorum* commentatus ſum, à *Buddaeo* mutuatus fuerim; Id enim ſequentia ejus verba textus vernacula clarè innuere videntur: Auch kommen im erſten theile manche pensées vor / die einem / ſo Buddaeum geleſen hat / gantz bekand düncken werden. Scio autem, quid hiſce verbis Lectori ſuo in aures inſuſurrare intendat praematurus Cenſor, nempè me ex *Buddaei introductione ad hiſtoriam Philoſophiae Hebraeorum* iſta mutuò accepiſſe, quanquam diſertis verbis id mihi imputare non andeat; Quaſi verò eosdem mihi fontes conſulere non licuerit, quos *Buddaeus* conſuluit: Pleraquae enim ex prioribus *Geneſeos* capitibus ſunt deprompta,

prompta, quae proinde ignota eſſe neque poterant neque debebant, etiamſi quis *Buddaeū* nunquam inſpexerit; Neq; enim *Buddaeana* quaevis (id quod hîc publicè profiteri minime erubeſco) ita comparata ſunt, ut promiſcuè mereantur adplauſum: Poſſent enim non pauca produci ſpecimina talium rerum, quae ſuperficiariam tantum Auctorum lectionem probarent, niſi, extra oleas me vagaturum, verendum mihi eſſet.

In cauſis longaevitatis Patriarcharum explicandis dum verſor, monet qvidem Dn. Cenſor, Lectorem meum plus probationis deſideraturum; Nullas interim adducit rationes, quae vim argumentorum adlatorum elumbem reddant. Sermo autem mihi eſt citatô locô de cauſis longaevitatis Patriarcharum, quibus praeter multas alias, brevitatis cauſa omiſſas, etiam adnumero *abſtinentiam ab eſu carnium*, & incidenter ſubjungo, *Aegyptios* pariter bruta animantia eô fine non mactaſſe. Neque verò id ſimpliciter tantùm adſero, ſed triplici argumento probo. 1) Auctoritate *Proſperi Alpini*, qui, licet junior ſit ſcriptor, res tamen antiquiſ-

ſimas, per traditionem ad illa uſque tempora propagatas tradidit. 2.) quia pleraque animalia DEORUM loco coluerunt *Aegyptii*, i. e. populus *Aegyptii*; Cui non obſtat, quod inferius pag. 106. & 107. not. t. hiſtor. Med. excuſaverim & ab ineptis *Conringii* accuſationibus abſolverim non plebem, ſed *Aegyptiorum* Sacerdotes, qui utique non tam ſimplices erant, ut ſimiam, crocodilum vel ſimile aliud animal DEUM eſſe crederent, ſed ut hâc ſuperſtitione tanquam efficaciſſimo mediô uterentur ad populum callidè circumveniendum. Quis enim credat, ignoráſſe Sacerdotes *Aegyptiorum* artificia plebi illudendi, & hoc medio in coeco obſequio eandem retinendi, quae medios inter Chriſtianos in hunc uſque diem à Clero maleferiato exerceri videmus. Nunquam lego antiqviſſimam hiſtoriam de BELE pariter ac DRACONE BABYLONIS, quin haec talia in memoriam mihi recurrant. 3.) Quia *Iſraëlitae Aegyptiis* fuerũt abominationi; Non aliã ob cauſam, quam quia animantia, *Aegyptiorum* DEOS occidebant & mactabant; Quae quidem ratio longè probabilior

bilior eſt illâ, quam ex forma regiminis *Aegyptiaci* (ut magnum crederes eſſe Politicum Cenſorem meum) cum *Herodoto* adfert. Ex quô quidem, Superiores cum inferioribus familiarem nimis converſationem ſedulò vitaſſe, non tamen abominatos eſſe conſtat. Plures hâc vice allegare rationes non placuit, cùm non ex profeſſo, ſed incidenter tantùm quaeſtio illa de abſtinentia *Aegyptiorum* ab eſu carnium ventilata fuerit. Verum, ne quid amplius diſſimulem, diſplicuerunt Cenſori noſtro ea, quae ad §. III. notul. e. circa finem propemodum à nobis adlata ſunt.

Jam verò non amplius ſubridentem, quod alias modeſtiae ſignum eſt, ſed in cachinnos erumpentem videre mihi videor Cenſorem, quod in primas medicinae origines inquirens DEO T. O. M. easdem vindicaverim, & ad illud confirmandum S. *Syracidem* in teſtimonium advocaverim, adducta ſimul verſione Graecâ *Septuaginta* interpretum, *quae* tamen, ut in parentheſi non ſine ſarcaſmo Cenſor noſter exiſtimat, *Eruditis ſit ignota.* Eſto autem

autem, hic mellapſum eſſe, foret tamen error iſte levior, Medico facilè, non aequè Theologo, Philologo vel critico condonandus; Levior, inquam, foret lapſus, & quidem ſolius tantùm memoriae. Nolim tamen, ideò ſibi blandiri Cenſorem, qvaſi ego, vel alii mecum crederent, magnum Philologum eſſe noſtrum; Scio enim, quàm hîc ſit curta ipſi ſupellex, & quàm improbabile mihi videatur, ex ipſius pharetra hanc ſaltem criſim profectam eſſe. Interim non eſt, cur iſtorum verborum me unquam pudeat aut poeniteat: Quia ſemper credidi, & in hunc uſque diem credo, *Syracidis* librum *hebraicè* primum ſcriptum, deinde verò in *Graecum idioma* verſum eſſe: *Hebraicum* enim *Syracidis* librum ſe vidiſſe, non modo S. Hieronymus refert, ſed ipſe quoque *Syracides* in prologo confitetur, idemqve ex ſtylo verſionis Graecae, qui quippe multis hebraiſmis aliiſque idiotiſmis ſcatet, probat *Heideggerus Enchiridio Biblico*, additque, archetypon periiſſe. Neque vero aliorum quoque auctoritate deſtituor, qui me-

cum

cum crediderunt, ſeptuaginta, ut libros *Canonicos*, ita hunc *apocryphum* quoque Graecè interpretatos eſſe: Ita enim Cap. I. p. 2. de medicinae Originibus in *Inſtitutionibus Medicinae Leonardus Fuchſius*, qui eundem *Syracidis* locum allegavit, diſertis verbis inquit: *Maluimus autem* ſeptuaginta *citare interpretationem, utpote nobis notiorem.* Alios, qui idem fortè nobiscum ſentient, hâc vice evolvere nec licuit nec lubuit.

Praetereà illud quoque malè habet Cenſorem noſtrum, quod *Hippocrati Serapionem* ad latus junxerim. Ut enim aliquid ſaltem egiſſe videatur, cum nihil ſolidi proferre potuerit, illud quoque improbat, partim, quod modum non docuerim, quô ſeparationem Medicinae â Philoſophiâ inſtituerit *Hippocrates*, partim verò, quod huic *Serapionem* ad latus junxerim, cùm *ille Dogmaticae*, *hic* verò *Empiricae* Sectae primus conditor à pleriſque judicetur. Eſto autem, *Hippocratem* Dogmaticae, & *Serapionem Empiricae* haereſeos primum fuiſſe Auctorem, an ideò utrumque ſimul citare nefas erat? Inprimis ubi unum idemque ſentiunt. Patet

autem

autem ex locis in textu allegatis, Cenſorem fateri debere, aut utrumque circa ſeparationem Medicinae à Philoſophiâ idem ſenſiſſe, aut eundem ſermonis latini rudem atque imperitum eſſe; QUOD ABSIT. Abſit, inquam, de tanto Philologo id ſaltem cogitare. Neque enim *Hippocrates* eo ſenſu *rationalis* dicendus, quod varias inanes & alienas ſpeculationes *à priori* medicinae immiſcuerit; Quô quippe intuitu *libro de priſca Medicina* medicos tales ſpeculatores Sophiſtis, ipſamque medicinam arti pictoriae comparare non dubitat; Sed quod experientiam cum ratione conſtanter combinaverit. Quô ſenſu abſurdum non eſt, *Hippocrati* ipſi inter *Empiricos rationales* aliquem locum concedere. Neque exiſtimandum eſt, *Serapionem*, qui, *Celſo* id referente, *nihil rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, in uſu & experimentis illam poſuit*, uſque adeò deliraſſe, ut ratione omni ejuratâ, ſolis tantùm experimentis coecam fidem adhibuerit: Quin potius, *empiriam* ejus *rationalem* fuiſſe, fatendum ſit, niſi manifeſtâ injuria *Serapionem* ejuſque aſſeclas adſi-

çere

cere velimus. Prolixè autem docere modum, quò demum ſeparatio medicinae à philoſophia facta fuerit, id quidem intempeſtivum & ἄτοπον omni modo fuiſſet. Longè enim melior ſeſe offeret oportunitas, cùm univerſa *Hippocratis* Medicina explicabitur.

Neque id *ſine criſi* dimittere potuit *acriticus cenſor*, quod §. XIV. docuerim, *a primaeva morum innocentia & ſumma vitae temperantia ita tandem receſſiſſe* Caini poſteros, *ut DEUS univerſali cataclysmate omnia viventia delere decreverit*, arguens nempè, non *Caini* tantum *poſteritatem*, ſed *omnem carnem* viam ſuam corrupiſſe, cùm Scriptura Sacra *ſemen Mulieris* à *ſemine ſerpentis* conſtanter ubiq; diſtinguat. Neque enim per omnem carnem omnes promiſcuè homines, ſed ſemen tantum ſerpentis, *Caini* poſteritas, intelligenda eſt: Quia *Noachus* cum ſua familia univerſali iſto diluvio non periit, ſed ſingulari DEI providentiâ conſervatus eſt, & ſic *ſemen mulieris* propagavit.

Poſtquam verò §. XV. ſine vexa dimiſerat, denuò §. XVI. ubi hiſtoria *Joſephi* traditur, aegrè ferre videtur, quod

quod *Joſephum* tanquam Ludimoderatorem, qui ſacerdotes *Aegyptiorum* ac ſeniores ſapientiam docuerit, in ſcenam produxerim. Eſt verò Cenſor meus ſimilis eſt araneis, quae ex omnibus rebus venenum elicere dicuntur. Produxi *Joſephum*, purpuratorum regiorum principem, qui ad clavum quidem *Imperii Aegyptiaci* conſederit, attamen ſacerdotes illorum atque Seniores ſimul ſapientiam, ad quam etiam medicina pertinet, docuerit? *Archontis* autem & *Praeceptoris* munus *ſine formidine oppoſiti* difficulter conjungi. Aſt miſeret me ſimplicitatis argumenti. Dabo unicam tantùm inſtantiam, cùm innumerae aliae dari aliâs facilè queant. *Salomo*, Rex *Iſraëlitarum* vaſtiſſimo praeerat imperio, neque tamen à Regiâ ſua dignitate alienum putabat, Juventutem erudire. Vide *Eccleſiaſten* & *Proverbia Salomonis*. Utrumque ergò cura gerendi regiminis impedire non potuit, quin & ſeipſos & alios omnigenâ eruditione inſtruerent, praeprimis cùm ſcriptura ſacra id disertè doceat Pſalm. 105. v. 22. *Conſtituit eum* (Joſephum) *Dominum domus ſuae & domina-*

dominatorem in omni poſſeſſione ſua: Ut erudiret principes ſicut ſeipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret: Unde quàm parum in lectione ſacri codicis verſatus ſit *Noſter*, abundè liquet.

Omnium aegerrimè id tuliſſe videtur *Cenſor*, quod celeberrimum atq; longè meritiſſimum *Conringium* acrius, quàm ipſe quidem *Borrichius* fecerat, perſtrinxerim, id quod tantò magis mihi, *mortuum leonem* invadenti, vitio vertendum ſit. Quanquam autem laudibus, quas in aliis eruditionis partibus ſibi adquiſivit, privare nolim *Conringium*; Eſt tamen extra omnem dubitationis aleam poſitum, in arte medica tanta ejus merita non fuiſſe. Id ſaltem certum eſt, ſtrenuum *Galeni* ſectatorem fuiſſe, ejuſque immoderato amore ſemel excoecatum magnô cum fervore ſaeviiſſe in novam *Paracelſiſticam*, quae eô tempore caput extollere coepit, Medicinam tractandi rationem. Reperiuntur hinc inde adhuc formulae remediorum & compoſitiones *Conringio* adſcriptae, quarum ingredientia non ſolum ulnis dimetiri facilè licet, ſed & ſingulis ex angulis mundi incon-

)( )( )(ditâ

ditâ ratione conſarcinatae ſunt. Sed hic eſt genius hominum; Si adhucdum in vivis eſſet *Conringius*, valdè metuo, ut tantis encomiis à quàm plurimis exornaretur: Jam verò ubi diu mortuus eſt, & cum nemine amplius de palma eruditionis contendere poteſt, ab omnibus laudatur.

Occaſione §. XXVIII. ubi laudantur *Aegyptii*, quod frequentiori corporum mortuorum ſectione, à qua ne ipſi quidem Reges eô tempore abhorrebant, haud vulgarem in *Anatomicis* notitiam ſibi adquiſiverint, monetur à *Cenſore noſtro*, ex loco *Realdi Columbi* allegato vix adparere, multùm artificii vel admirationis habuiſſe Anatomiam *Aegyptiorum*, ipſumque locum ex *Herodoto* à me citatum ſuſpectum reddere aliaque interpretatione interpolare laborat. Aſt loquor ego de *Aegyptiorum* Anatomia *abſolutè*, non *comparate*: Excelluiſſe eosdem in *arte ſecandi*, nullibi dicitur, ſed tantùm, hiſtoriam partium humani corporis eosdem non ignoraſſe in textu indicatur. Conſuetudo *Aegyptiorum* de ſceleto menſis convivantium inferendo nititur auctoritate *Plutarchi*,

tarchi, cum quô contendere poteſt, cui volupe eſt. Interpretatio loci, quam ex *Herodoto* adfert Cenſor, eſt coacta.

In §. XLIII. diſplicet *Auctori Cenſurarum*, quod *Horo*, quem alii *Apollinem* nuncupant, ea omnia adſcripſerim, quae Graeci *Phoebo* vel *Apollini* ſuo vindicaverint. Atque ita omninò res ſeſe habet; Neque mirum: Quia *Graeci* totam iſtam fabulam ab Aegyptiis mutuati ſunt. Igitur *Horus*, filius *Iſidis* cum *Graecorum Apolline* eſt unus idemque. Cum *Aeſculapiis* verò, altero *Aegyptio*, altero *Graeco*, aliter comparatum eſſe, ſequentia clarius docebunt.

Praetereà & id malè habuiſſe *Cenſorem noſtrum*, videtur, quod §. XLV. *Promethei*, tanquam ad hiſtoriam *Aegyptiacam* pertinentis mentionē fecerim: Ubi tamen ex textu clariſſimum eſt, nihil me hîc determinâſſe, ſed varias tantùm Doctorum virorum ſententias hiſtoricè retuliſſe; Atque adeò criſis iſta me non tangit.

Eôdem planè modô comparatum eſt cum imputatione *Cenſoris*, quae §. XLIX. & ſequentibus de Medicina *Sinenſium* occurrit: Id enim omne non

meá, ſed *Cleyeri* ſententia relatum eſt, cui tamen nullibi diſerte album adjeci calculum. Vellem itaque, majori fide atque ſinceritate mecum agere inſidioſum Cenſorem, nec obtorto mihi collo obtrudere, quod vix unquam credidi. Verba enim in ℱ. L. (*Quod ſi verum eſt*) â me adlata tàm clara ſunt atque evidentia, ut, in errorem quosdam ex minus benè intellecto conceptu de circulatione ſangvinis *Sinenſium* eſſe lapſuros, nemo facilè metuere debeat. *Paſchium* autem, nî fallor, rectè ſuperius notavi, ideò quod hic Vir, quantum in ipſo eſt, omnia recentiorum inventa antiquitati in ſolidum vindicare adnititur. Idem cum *Paſchio* me feciſſe, nemo mihi imputabit, niſi qui ſermonis latini planè imperitus eſt. Ex toto paragraphi contextu nullibi id evinci poteſt.

Denique id latentem *Cenſoris noſtri* rancorem manifeſtè prodit, quod non obſcurè imputare mihi videatur, quaſi inter radicem & corticem *Chinae* diſtinguere ſatis non potuerim; Ubi tamen nullum agnoſco errorem, niſi, qui incuriâ Typographi irrepſit, cùm in textu poſt

tu poſt verba: *Nihilominus variae eaeque utiliſſimae Europoeis medicis radices;* hae duae voculae: *& cortices;* malè omiſſae fuerint; Id quod ſine dubio in ſerie *corrigendorum* ſuo tempore notatum inventurus fuiſſet Cenſor invidus, ſi patienter tamdiu expectaſſet, donec *duae poſteriores Hiſtoriae Medicinae Periodi* cum indice & ſerie erratorum in publicum prodiiſſent. Caeterum ad eum arrogantiae gradum ipſum adſcenſurum fuiſſe vix exiſtimâſſem, ut prorſus mihi imputare auſus fuiſſet, quaſi *radicem Chinae* cum *cortice Peruviano* unam eademque rem eſſe vel eandem agnoſcere Patriam, credidiſſem. Aliter id jam ante viginti quatuor annos Auditores meos docui, ſicuti Collegia MSCTA in hunc uſque diem probant. Praefiſcini enim dixerim, me anno aetatis meae decimo octavo jam univerſum, quem vocant, Studiorum Curſum abſolviſſe, & annô vigeſimô jam aliis meis Commilitonibus, me annorum ſerie longiſſimè ſuperantibus, pleraſque & literarum politiorum & Philoſophiae & Medicinae quoque partes explicuiſſe. Commendo itaque Cenſori

meo majorem modeſtiam, quam graviter meâ ſaltem ſententia violaſſet, ſi ipſis quoque Tyronibus artis talia exprobraſſet. Sed exſtant jam alia praecipitantiae Cenſoris teſtimonia publica, ex quibus genium ejus cognoſcere ei non erit difficile, cui id operae videbitur pretium.

Nunc verò, his ita expeditis, ad diſcuſſionem eorum, quae adverſus *obſervationem I. Section. primae Tomi primi, Exercit. Hallenſ.* quae deſcriptionem ovuli in infanticidae cujusdam ovario reperti continet, objecta ſunt, progredior, ubi ſub initium ſtatim deſideravit Cenſor meus, optandum fuiſſe, me interiorem ovuli muliebris faciem aeque adcuratè atque exteriorem deſcripſiſſe. Aſt patiatur, tria tantùm verba regeri Ipſi à me poſſe, nempè praematurum & intempeſtivum eſſe hoc ejusdem poſtulatum. Sciat enim, iſta quidem admonitione omninò opus non fuiſſe; Hujus namque *interioris ſtructurae ovuli* illuſtrationi peculiarem demonſtrationem me deſtinaturum fuiſſe, ſchedula publicè adfixa jam Spectatoribus meis promiſeram. Intereà verò temporis, dum Pictori (intentio enim erat, iconi-

iconiſmis totam rem delineare ac peculiari Exercitatione, *Friderico Ruyſchio*, Anatomico Amſtelraedamenſium longe Celeberrimo dedicanda, adcurate poſtmodum deſcribere) exteriorem ovuli formam & habitum depingendum, Profectori vero univerſum partium genitalium ſyſtema nitidius praeparandum concredideram, ut in liquore balſamico conſervatum privatis inpoſterum demonſtrationibus inſervire poſſet, flacceſcit & collabitur antea turgidulum ovulum, ut iſtam qvidē intentionem meam citius eluderet, quàm, aliis interim aliarum partium demonſtrationibus intentus, voti mei compos evaderem. Intereà, quanquam ob rationem adlegatam interiora hujus ovuli non aequè ac exteriora luſtrare licuerit, ingentem tamen inter hunc meum & reliquos negotium generationis explicandi modos differentiam reperiet, niſi qui luſcô oculô rem omnem contemplatus fuerit. Taceo, de ipſius rei veritate neminem alium dubitaturum, niſi qui praejudicio de *Ovario Nabotiano* fuerit excoecatus, & hydatidū potius congeriem quàm ovulorum verorum collectionem tanquam

genuinum mulierum ovarium agnoſcere maluerit. Monetur deinde, *ſatius fuiſſe, ſi prolixas ad titulum obſervationis meae nihil pertinentes ſententiarum alienarum allegationes reſcidiſſem, & rem ipſam, prout decuiſſet, condignè explicuiſſem.* Quaſi verò artificium iſtud non pleriſque eruditis familiare eſſet. Si ideò (argumentor *ad hominem*) cenſuram merui, quod aliorum prius opiniones, quas de *modo* generationis fovent, hiſtoricè recenſuerim, quam meam demum ſubjunxerim, qvis à cenſura tali liber erit? Nulla ſcribitur diſputatio, quae hoc, ſi ita dicendum ſit, vitiô non laboret. Innumeris id probare exemplis plane domeſticis facillimum, niſi odioſum, foret. Utile autem atque neceſſarium duxi, famoſioſiores circa *modum* generationis occurrentes Auctorum ſententias praemittere, ut ſpecimen luculentum Lectori exhiberem, in quantam abſurditatum & inconditarum fictionum abyſſum praecipitari facile queant, qui rationi ſoli, experientia fidâ non ſatis colluſtratae nimium fidunt. Monendi ſubinde ſunt tyrones artis noſtrae, ne ejusmodi ſpecioſis commentis faſcinari ſeſe patiantur.

tur.

tur. Brevitas rei tractatae nil officit, dummodò *modus*, quem adduxi, univerſo partium genitalium ſyſtemati ſit conformis, id quod ſpero.

Quod verò ultimo loco monetur, *ſufficienter ſcilicet probatum nondum eſſe, infanticidam cum adoleſcente in eôdem cum illâ carcere concluſô rem habuiſſe*, licet *poſſibile omni intuitu fuiſſe non negetur*, parum abeſt, quin legenti riſum tacite extorſerit. Uſque adeò manifeſtè ſimplicitatem Cenſoris id prodebat. Qvis enim ſani ſincipitis homo dubitabit de cauſa, dum effectus in omnium oculos incurrit? Neque enim hodiè puellis credimus, ſi imaginatione vel plane vento gravidas ſe factas eſſe juraverint. Adoleſcens propter petulantem, qua puellas infectatus fuerat, laſciviam in carcerem conjectus, infanticida verò propter duplex infanticidium capitis damnata erat. Qvis ergò miretur, decies idem crimen commiſſuram fuiſſe foeminam, quae tota carnalibus ſuis cupiditatibus dedita ſolàm beſtialem, quam cum brutis communem habebat, vitam vivebat, & cuticulam curabat, de futuro parùm vel nihil ſollicita. Sed regerit Cenſor, *vix ulli*

ſuſpicioni locum eſſe poſſe, mulierem capiti damnatam laſciviae denuo corpus ſuum expoſituram fuiſſe; Aſt quaesò qvid familiarius, quam ejusmodi meretrices ſubinde ipſis cuſtodibus ſeſe ſuppoſuiſſe, ut gravidae denuò factae terminum fatalem longius extenderent? Qvis ſibi perſuadeat, idem artificium *noſtram* ignoraſſe? Neque enim profundâ triſtitia vel moerore animi vel alio quodam graviore animi pathemate ob perpetrata ſcelera correptam fuiſſe *Noſtram*, illud praeter alia argumento eſſe poteſt, quod captivitatis tempore permultum pinguedinis collegerit. Solus enim *panniculus adipoſus* ultra viginti libras pingvedinis ſectione durante mihi praebuit. Aſt verò haec ſufficiant hac vice: Si perrexerit Muſas meas turbare Cenſor, videat, ne acriori ſale caput ejus abluatur. Interim ſuadeo eidem, quiscunquedemum fuerit, ut inpoſterũ aut majorem judicii vim in recenſendis aliorũ ſcriptis adhibeat, aut, quod ſatius eſt, taceat, atq; perpetuò memor ſit, ſe ex plerisq;, quas unquã habuit, controverſiis raro victorem diſceſſiſſe.

*)o(*

HISTORIAE
MEDICINAE
UNIVERSALIS
PERIODUS TERTIA

Quâ

Univerſa *Graecorum*

Medicina ab *Aeſculapii* temporibus ad *Bellum* usque *Trojanum* diſcutitur.

HISTORIAE MEDICINAE UNIVERSALIS PERIODUS TERTIA

Quâ

Univerſa *Graecorum* Medicina ab *Aeſculapio* usque ad *bellum Trojanum* deſcribitur.

§. LIX.

DIſcuſſimus *duabus prioribus periodis* univerſum medicinae ſtatum, qualis *Hebraeorum*, *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, *Indorum*, praecipuè *Aegyptiorum* aliarumq; antiquiorum gentium tempore fuit. Pedem nunc promovebimus atque *duabus poſterioribus*

periodis (a) ſiſtemus hiſtoriam medicinae *Graecorum*, utpote qui propemodum omne, quidquid liberalium artium atque ſcientiarum unquam poſſederunt, *Aegyptiis* atque *Phoenicibus* ipſimet in acceptis referre non dubitarunt. Ubi quidem ingenue ſtatim confitemur, multa, que relaturi ſumus, fabulo-

(a) Veniam dabitis, *Cenſores Hallenſes*, meae libertati, quod non obſtantibus cenſuris veſtris, quibus nuperrimè *Struvium* immerentem ideò perſtrinxiſtis, quod plerosque ſuos tractatus hoc initiali verbo: *Siſtemus*; auſpicatus fuerit, hoc nihilominus vocabulo uſus fuerim. Credatis tamen velim, animo nonniſi trepido & calamo titubante id factum fuiſſe; Haud enim injuria metuebam, ne Sale veſtro ſatyrico frontem ſimiliter *mihi*, ac *illi* perfricaretis: Quanquam injuſtum ac merè panicum fuiſſe metum, inde facile conjicere mihi licuerit, quod innocens ſit vocabulum & ab omnibus probatae latinitatis ſcriptoribus civitate latina receptum. Id tamen ſollicite cavebo, ne frequentior vocis repetitio ingratum delicatis auribus ſtridorem adferat.

bulosa Lectori videri poſſe: Omnia autem *Graecorum* hujus farinae eſſe, citra manifeſtam injuſtitiae notam nemo facile adſeruerit. Interim ex ipſa circumſtantiarum indole quilibet prudenti judicio adſequi haud difficulter poterit, anne fabulis vel ipſi rei veritati ſimiliora ſint, quae de conditione artis medicae tempore *Graecorum* enarraturi ſumus.

§. LX Et de *Aeſculapio* quidem omnium veluti ora plena ſunt; Cujus tamen hiſtoriam priusquam exhibeamus, de *Melampo*, tanquam hiſce in fabulis & priore & antiquiore, paucula praemittenda ſunt. Patria *Melampi Argis* praedicatur, totius *Argiae* ſive *Argivorum* metropolis. Patrem habuit *Amythaonem* & matrem *Aglaidem*. Ab hiſce ſuis Parentibus educatus & adutiorem aetatem nactus, arti paſtoritiae, quae omnium frequentisſimè quondam exercebatur, ſeſe adplicuit. Non minus quoque Veteribus tanquam (b) Poëta inno-

(b) Unde & *Homerus* ejusdem mentionem facit.

innotuit, & multis millibus verſuum luctum Cereris, raptum Proſerpinae, filiae ſuae, lugentis proſequutus dicitur. Erat quoque (c) *Augur* ſimulq,

(c) Quare & ſermonem avium dicitur intellexiſſe: Unde ſi antiquis talia in mentem venerunt, hodiè non aequè mirandum eſt, ſi in ſcenam denuò producantur. Mihi curioſa iſta de *loquela brutorum* obſervatio ſemper paradoxa viſa fuit; Siquidem difficile eſt comprehenſu, quomodo rationis ſuae ſenſum, ſi quem habent, ſive invicem exponant, & ex qua ſeſe invicem intelligant, imò juxta quam ſuas quoque actiones inſtituant? Caeteroquin nullum eſt dubium, quin univerſalem pènes omnes Curioſos ad plauſum ſit meriturus, qui ſpecimen aliquod novae & inſolitae artis ederet, v. g. quibus characteribus ſua in loquela utantur aſini rudentes? Quâ aſininae ſuae rationis ſenſum atq; conceptus aſininos ſibi invicem vel aliis, qui eorundē ſermonē intelligūt, exponant, & exqua ſeſe mutuò intelligant, imò juxta quam ipſas quoque actiones ſuas ordinent & inſtituant aſini &c. Atque ſic de reliquis animalibus cunctis ratiocinandum eſt.

Medicus feliciſſimus, quam utramque & vaticinandi & medendi provinciam arctiſſimo olim vinculo connexam fuiſſe obſervat (d) *Euſtathius.* Quanta ejusdem fuerit exiſtimatio, quantaque in curandis morbis peritia, id vel exinde liquet, quod veluti in proverbium quondam abierit, rem usque adeò difficilem eſſe, ut ipſo *Melampode* videatur indigere. Non enim ad luſtrationis tantùm religionem pertinere ejus merita, ſed & ad ipſum medendi artificium ſeſe extendere, diſertè docet (e) *Pauſanias*, qui *Melampodem, Amythaönis* filium, foeminarum *Argivarum* morbum (inſaniam puta vel certam melancholiae ſpeciem, qua in vaccas ſeſe transmutatas fuiſſe, fingebant) ſanaſſe perhibetur: Hinc & nomen dediſſe creditur *Melampodio*, quod nihil aliud, quàm certum *Hellebori* genus eſt. Cum enim animadvertiſſet *Melampos*, quod paſto illo purgarentur caprae; Probabiliter concludebat, iſtarum capra-

(d) Ad Iliad. α. p. 36.
(e) Corinthiacor. Cap. XVIII.

rum lac purgatrice quoque facultate pollere: Unde illud inſanientibus *Proeti* filiabus propinavit, eodemque furentes *Proetidas* feliciſſimé ſanavit, teſte (f) *Plinio* (g) *Galeno* & (h) *Pauſania*, qui omnes curationem iſtam *Melampodis* adcuratė nobis deſcribunt. Et *Plinius* quidem ſequentibus verbis: *Melampodis fama divinationis artibus nota eſt; Ab hoc appellatur unum hellebori genus Melampodium*; *Aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Proetidas furentes.* *Galenus* eandem ita deſcribit: *Nemo inter Graecos usque adeò rudis indoctusque eſt, quin legerit vel audierit, Proeti filias furore percitas à Melampode purgatas curatasque.* Et *Pauſanias* denique ita concludit: *Supra Nonacrim montes ſunt Aroania adpellati: In quibus ſpelunca, intra quam furore actas Proeti filias memorant ſeſe abdidiſſe: Inde verò extractas a Melampode arcanis quibusdam ſacris &*

(f) Hiſt. Nat. Libr. XXV. Cap. V.
(g) Libr. de atra bile Cap. VII.
(h) Arcadicor. S. Libr. VIII. p. 636 & 637.

et expiationibus in eum vicum veniſſe, quos Luſos nuncupant. Et aliquibus interjectis ita pergit: *Filias certe Proeti Melampus Luſos compulit, luſtratasque in Dianae templo inſania liberavit. Ab eo ſane tempore ad hodiernum usque diem Hemereſiam* (quaſi placabilem dixeris) *Dianam templi ejus praeſidem Clitorii nuncupant.* Si autem, ut modò vidimus, jucunda & elegans fuit curatio, quis mirabitur, aeq; jucundũ imò jucundius fuiſſe proemiũ, quod ex hâc cura reportavit *Melampus. Anaxagoras* enim ingens tale beneficiũ grata mente agnoſcens filias ſuas & *Melampodi* & fratri ſuo *Bianti* in matrimonium dedit, illisq; regni ſui partem communicavit, ſicutidem (1) *Pauſanias* teſtatur ſequentibus verbis: *Quo tempore regnum tenuit Anaxagoras, Argei filius, Megapenthis Nepos, is furor feminas invaſit, ut, quum intra domeſticos parietes contineri non poſſent, per totum agrum palantes vagarentur. Inventus tandem eſt Melampus, Amythäonis filius, à quo ſanatae ſunt. Ei Anaxagoras ita gratiam retulit,*

(i) Corinthiacor. S. Libr. II. p. 150.

ut aequis cum eo fratreque ejus Biante partibus regnum communicaret.

§. LXI. Propter hanc itaque memorabilem curam, quam in filiabus *Proethi* inſania correptis perfecerat, ſingulare adquiſivit cognomen, & (k) καθαρτής, i. e purgator vocatus eſt; Idque forte (l) primum actus purgatorii ſolem-

(k) Vid Serv. in III. Georgicor.

(l) Jamdudum hoc obſervavimus in *Diſputatione noſtra, de mutilo medicinae corpore reſarciendo per chirurgiam & pharmaciam poſtliminiò revocandas*, ſequentibus verbis: Saltem antiquiora actus purgatorii ſolemnius in hominibus inſtituti monimenta apud ſcriptores non occurrunt, licet ſimul negari nequeat, antiquitatem hujus remedii tempora *Melampodis* longiſſimis paraſangis tranſcendere debere, quia nullum medicationis genus magis naturaliter indicatur, quàm actus purgationis: Si quis enim voracitati vel ingluviei deditus ventriculum ſuum praeter modum oneraverit, ſaepisſimè vomitibus vel diarrhoeis ſpontaneis citra aliud ſubſidium externum ab hoc onere liberatur: Unde etiam citra laborioſam ratiocinationem remedii hujus utilita-

ſolemniter à medicis inſtituti exemplum eſt. Meruit intereà, ut poſt fata divino quoque cultu adficeretur, ejusdemque honoribus templum dedicaretur, teſtante iterum Pauſania ſequentibus verbis: *Aegiſthaenis Melampodis Amythaonis filii templum eſt, & in eo non magni utique viri ſignum columnae inſiſtit. Melampodi ſacrum faciunt, & feſtum diem quotannis celebrant. Futura verò praedicendi neque e ſomniis, neque ex ulla alia ratione ei ſcientiam tribuunt.* Libri, quos ſcripſiſſe dicitur, proculdubio ſuppoſititii ſunt, ſicuti ab aliis jam dudum obſervatum eſt. Reliquit filium *Thyodamam*, qui eandem, quam â Patre ſuo acceperat, protesſionem amplexus eſt. Praeter curationem in filiabus *Proeti* peractam, non minus ea quoque admirabilis fuit, qua *Iphiclum* aliâs ſterilem reddidit foecundum, de qua (m) *Apollodorus* legi poteſt.

§.LXII.

tem ac necesſitatem obſervaſſe primos homines, admodùm hinc redditur probabile.

(m) Lib. I.

§. LXII. Idem *Iphiclus*, cujus modò mentionem fecimus, quique, ſicuti aliunde notum eſt, expeditioni *Argonauticae* interfuit, occaſionem nobis ſuppeditat famoſiſſimae iſtius ſimulque antiquisſimae expeditionis meminiſſe, etiamſi aliâs eam parum aut nihil hûc ſpectare probè ſciamus: Idque eam potiſſimùm ob rationem, quod artificium vel myſterium aliquod Alchymiſticum ſub figurato hoc *velleris aurei* nomine reconditum eſſe, multi ſibi imaginentur; Quanquam alii, quos inter *Eraſtus* quoque nomen ſuum profitetur, tanquam ineptas & indignas nugas ridere non dubitent, quicquid de celebri hac *Argonautarum* expeditione pro artificio chymico alii allegare moliuntur. Interim plauſibile admodùm videtur, quod *Suidas* refert, vellus iſtud aureum, cujus rapiendi gratia *Jaſon* & reliqui *Argonautae* una cùm *Medea*, Regis *Aeetae* filia, Pontico mari in Colchidem profecti ſunt, non pellem arietis fuiſſe, ſed librum in membranis ſcriptum, qui praecepta artis transmutatoriae ſeu χρυσοποιητικῆς continuerit. Ne-

Neque enim credibile eſt, tot illuſtres temporis ſui heroës propter pellem arietis aut phiolam auream vel ſimilem vilioris pretii rem, tàm celebrem tantisque cum periculis ſtipatam expeditionem ſuſcepturos fuiſſe. Quare alii, perpendentes inprimis *Medeae* & *Jaſonis* vocabulis medicum deſignari, quodque vulgò adjicit fabula, *Medeam philoſophica medicina ſenectutem parentis depuliſſe*, ſub ſeriam penſitationem vocantes, de artificio Alchymiſtico intelligere non verentur, quicquid de rapto aureo vellere in celebri iſta *Argonautarum* expeditione dicitur. Quibus omnibus apertum ſuum praebuit adſenſum (n) *Sennertus* ſequentibus verbis: *Draco vigil eſt Mercurius, quem ſopire difficillimum, huic aurum, quod Phaſis in Colchide detulit, cuſtodiendum traditur. Materia iſta includitur templo Martis, i. e. Athanari ſeu fornaci philoſophorum; Cuſtodes ſunt tauri ignem ſpirantes, calor nimirum per gradus adhibitus; Draconis dentes, qui in exer-*

(n) de conſ. & diſſenſ. chym. ac Galen. Cap. III. p. 23. & 24.

exercitum evadunt, & ſe mutuis vulneribus conficiunt, eſt pugna materiae, vaſi ſuo incluſae, donec ad unitatem redigatur. Ita tandem arte Medeae Jaſon draconem ſopit, i. e. volatile figit & ex veneno utilem medicinam parat. Quae omnia ſicuti non diffiteor, admodum eſſe ſpecioſa: Ita ſicco pede praetereunda non fuere, quanquam in re obſcura & perplexa, qualis eſt haec *Argonautarum* expeditio, multò ſatius ſit ſuum ſuſpendere judicium, quàm multiplicibus contradictionum labyrinthis temerè & praeter ullam urgentem neceſſitatem ſeſe implicare.

§. LXIII. Notior hiſce in Graecorū fabulis eſt *Chiron Centaurus*, (o) *Saturni* & *Philyrae* filius & (p) *Aeſculapii* Prae-

(o) Ita eſt in fabulis apud *Apollodorum Lib. I. Cap. II. Sect. 4.* Adſtipulatur *Plinius Libr. VII. Cap. LVI. Medicinam Aegyptii apud ipſos volunt repertam; Alii per Arabum, Babylonis & Apollinis filium. Herbariam & medicamentariam à Chirone, Saturni & Philyrae filio.*

(p) Hoc enim docet iterum *Apollodorus Lib. III. Cap. X. Sect. 3.* ſequentibus verbis:

Praeceptor. Pingitur plerumque tanquam dimidia anteriore corporis ſui parte homo, poſteriore vero equus, unde & nomen (q) *Centauri* adquiſivit. Quod

Infantem ex rogo eripiens (Apollo) *ad* Chironem Centaurum *tulit, à quo & medicinam & venandi artem didicit.* Quum enim, ſicuti *Pindarus* Pyth. Od. III. Epod. II. refert, *Coronis Aeſculapii* mater jam extincta eſſet, & rogo impoſita ad cremandum, infantem adcurſu *Apolinis* ex Utero & flammis ereptum ac poſtmodùm *Chironi* ad erudiendum traditum fuiſſe: Ita enim *Pindarus:*

> καὶ, ῥὰ μὶν Μάγνητι φέρων,
> Πόρε Κενταύρῳ διδάξαι
> Πολυπήμονας ἀν-
> θρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους. I. e.

Qui eum Magneſio adferens tradidit Centauro, ut doceret eum noxios hominibus ſanare morbos.

(q) Si *Pindaro*, *Hygino* aliisque fabularum ſcriptoribus credendum, nomẽ ſuum derivavit Chiro exinde, quod Pater ejus *Saturnus*, amoribus meretriciis implicitus cum *Philyra*, in ipſo actu nefario adulterii fuerit deprehenſus à *Rhea*, qui proinde, ne ab hâc cognoſceretur, mira

Quod nonnulli eidem impoſitum eſſe exiſtimant, quod primus equis venari docuiſſet, ſicuti obſervat (r) Szetzes. Nonnulli loco *Centauri* (ſemiviri) legendum eſſe putant, *Semiferum*, quod inventa ipſius non ſolummodò in ſalutem generis humani, ſed & brutorum animantium cedant. (s) *Clericus* obſervat, *Chironem* dictum fuiſſe à Patria *Centaurum*, quod *Theſſalus* fuerit: Fabulam enim adſerere, *Theſſaliam* horum monſtrorum patriam eſſe & *Theſſalam* gentem extitiſſe primam, quae equos domandi artem docuerit. Unde ejusmodi hominem *Theſſalum* equo inſidentem, ê longinquo conſpectum, videri unum cum equo corpus, atque hinc *Chironem* dictum fuiſſe *Centaurum*; Quae pro-

metamorphoſi ſtatim in equum fuiſſet transmutatus: Unde filium ex hoc adulterio natum *Centaurum* fuiſſe dictum. Nos fabularum ejusmodi delicias auctoribus ſuis relinquimus, qui reales factorum circumſtantias ad fabularum modulum metiri non poſſumus.

(r) Chiliad. VI. hiſt. 94.

(s) Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. X.

tamen denominationis ratio longius mihi petita & eapropter minus quoque probabilis eſſe videtur. Alii, quos inter *Suidas* quoque referendus, *Centaurum* vocatum fuiſſe *Chironem*, contendunt, quod ſcripſerit ἱππιατρικὸν, quod opus ipſis etiam Arabibus benè cognitum fuiſſe notat (t) *Kircherus.* Atque hi quidem propius ad ſcopum accedere mihi videntur. Quid enim vetat adſerere, ipſi hoc nomen tributum fuiſſe, quod utramque medicinam, tam illam *rationalem*, qua hominum curam gerebat, quam *Hippiatricam* & *Veterinariam* qua brutorum animantium ſanitatem procurabat, calluiſſe? Magnam, teſte (r) *Plinio*, rei herbariae habuit notitiam: Unde etiam (s) *Magneſii* popula-
P res

(t) Oedip. Aegyptiac. Tom. III. p. 68.

(r) Vid. locum *Plinii* anteà allegatum. Adſenſum praebet *Suidas: Chiron Centaurus*, qui primus artem medicam invenit illam, quae per herbas curat. Et *Hyginus* fab. CCLXXIV. *Chiron Centaurus* artem medicinae chirurgicam ex herbis primus instituit.

(s) *Plutarchus* enim Sympoſ. Lib. III. quaeſt. 1.

res ejus ob ſingularem hanc herbarum peritiam earundem primitias ipſi immolabant. Centaurium minus, herba inter febrifugas non infimae ſortis, ſuum quoque nomen ab eo accepiſſe fertur. Non ſolummodo autem morbos internos, ſed & potisſimum externos, vulnera & ulcera curare docuit; Unde ulcera penè incurabilia & ab aliis pro deſperatis habita *Chironiana* dicta ſunt. Ex quo, (t) Chirurgiam ſolam a *Chi-*

p. 647. ita inquit: *Tyrii Agenori, Ch[illegible] Magnetes primitias herbarum offerunt, quo[illegible] primi medicinam feciſſe exiſtimantur.*

(t) Negari quidem nequit, Chironem Centaurum praeter reliquas medicinae partes, Chirurgiae inprimis operam navasſe; Id enim operosè demonſtravit *Marcus Aurelius Severinus*, quondam Anatomiae & Chirurgiae in Schola *Neapolitana* Regia Profeſſor, in egregio opere de *efficaci Medicina.* Solam verò chirurgiam, neglecta medicina interna, excoluiſſe eundem, certò probari nequit. Debile inſuper eſt argumentum, ab etymologia deſumptum; Licet enim χεὶρ deſignet manum, & chirurgia operationem manualem, nondum tamen ad

Chirone excultam fuiſſe nonnulli concludunt.

§. LXIV. Praeter *Aeſculapium Centaurus* non ſolummodò in arte militari, cujus pariter peritiſſimus fuit, ſed & Medicina fortisſimos atque celeberrimos temporis ſui Heroës, *Herculem* ſc. *Ariſtaeum, Theſeum, Telamonem, Teucrum, Jaſonem, Peleum* ejusque filium *Achillem* liberaliter inſtruxit: Hi enim omnes ad ipſum accedebant, qui tunc temporis in (tt) antro quodam *Pelii* montis *Magneſiae* gigantum quondam bello famoſi, habitabat. Quod inprimis *Herculem*, qui genus ſuum ad *Perſeum* referebat, attinet, is praeter artem militarem & Aſtronomiam, ipſius quoque artis medicae non leviter peritus fuit, ſicuti (u) *Plutarchus* de ipſo teſtatur. Quinimo aucta aetate & artis divinandi & dialectices factus eſt particeps;

 Qua-

liquidum deductum eſt, huc inprimis reſpexiſſe, qui primi nomen hoc impoſuere Chironi.

(tt) Vid. Clement. Alexandrin. Stromat. L. I.

(u) Amator. p. 761.

Quare & tripodem *Apollini* abſtuliſſe, & referente eodem (uu) Plutarcho, de artibus cum ipſis veluti Diis contendiſſe dictus eſt. Quae eadem quoque ratio eſt, quare & *Muſarum* & *Herculis* ara communis ſit, uti apud eundem (w) *Plutarchum* legimus. De eodem refert (x) *Tzezes*, eum fuiſſe Aſtrologum, Poëtam, Philoſophum, Medicum ac denique Magum. *Heraclion* ſidereon ab Hercule inventum & denominatum fuiſſe, ſcribit (y) *Plinius*, Item *Nymphaea heraclia* dicta, cujus itidem denominationem (z) *Plinius* ad *Her-*

(uu) Comment. de Ei, foribus templi Delphici inſcripto p. 387.
(w) Quaeſtion. Roman.
(x) Chiliad. V. hiſtor. XXII.
(y) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. IV.
(z) Ibid. Cap. VII. Nymphea nata traditur Nympha, *Zelotypia erga Herculem mortua: Quare Heraclion* (Heracleon) *vocant aliqui.* Nonnulli tamen probabilius forte exiſtimant, hanc ſimilesve plantas nomen ſuum non ab Hercule derivaſſe, ſed a virtute potiùs Herculea, qua polleant, in debellandis variis morbis: Malo e-

Herculem refert. Propterea etiam *Alexicacus* dictus fuit, quod morbos tanquam mala, humanum genus graviter adfligentia pellat; Quamvis alii hoc cognomen ipſum meruiſſe exiſtiment, quod â diverſis monſtris terram liberaverit. Huc & digitus veluti intenditur in variis monimentis antiquis, in quibus frequenter admodùm σωτὴρ adpellatur. Medici enim paſſim Soteres vocantur: Unde titulos hoſce Medici ac Soteris conjunxit *Chosroes*, Perſarum Rex, in Epiſtola ad *Mauritium Imperatorem*

nim Herculeo remedium quoque Herculeum opponendum eſt. Unde morbus comitialis ſeu epilepſia plerumque etiam malum herculeum adpellatur, non quod Hercules eodem tentatus fuerit, aut eidem medelam adhibuerit, ſed quod herculeis opus ſit viribus ad malum ejusmodi herculeum, quale eſt epilepſia, eradicandũ. Caeterum filiam habuit *Hercules*, *Hepionẽ*, cujus in epiſtola *Abderitanorum* ad *Hippocratem* mentio fit, quaeque pariter in arte medica haut vulgarem habuiſſe notitiam perhibetur.

torem: Renunciari vos Conditores & Servatores & Medicos Reipublicae Perſarum.

§. LXV. Eundem agnovit Praeceptorem *Ariſtaeus*, Rex *Arcadiae*. Primus monſtravit iſte hominibus methodum parandi olea, coagulandi lac, colligendi mel aliasque ad ſocietatis humanae conſervationem apprime utiles artes; quae etiamſi noſtrâ tempeſtate ad vilioris ſortis homines relegatae ſint: Cogitandum tamen, easdem primis repertoribus vix oſcitando in buccam veniſſe, ſed poſt multa demum atque laborioſa tentamina innotuiſſe. Ex eâdem ſcholâ prodiit *Theſeus* & (a) *Jaſon*, cujus poſtremi ſolum etiam nomen non obſcuro poteſt eſſe teſtimonio, quod celebrem in medendo famam ſibi adquiſiverit. *Telamon* ejusque filius *Teucer*, fuerunt pariter ex *Chironis* diſcipulis, & herbam, *Teucrion* dictam, à *Teucro* ſuam traxiſſe denominationem, probabile eſt.

§. LXVI.

(a) Deſcendit enim ab ἰάομαι, ſut ἀσομαι, quod eſt mederi, ſanore, curare.

§. LXVI. Ex eâdem hâc diſciplinâ tanquam ex *equó Trojanô* prodiit quoq; *Peleus*, ejusque filius (aa) *Achilles*, qui *obſidioni Trojanae* interfuerùnt. Admodum miraculoſa fuit haſta, quam *Achilles* acceperat à *Chirone*, utpote quae partes, quas vulnerabat, itidem ſanabat, cujus rei experimentum in *Telepho* factum narrat (b) *Plinius*, qui eundem herbae *Achilleae* nomen dediſſe, ſimiliter perhibet. Quare verò idem *Achilles* inter DEOS relatus legatur, pulcrè explicatum eſt apud (bb) *Ciceronem* ſequentibus verbis: Quid? *Ariſtaeus*, qui

(aa) *Achillem* diſcipulum *Chironis* fuiſſe, diſcimus ex *Pauſania* Laconicor. S. Libr. III. p. 255. ubi ſic dicitur: Peleus Achillem Chironi *alendum tradit, qui Doctor etiam ejusdem & magiſter fuiſſe dicitur.*

(b) Hiſtoriae natural. Libr. XXV. Cap. V. *Invenit* & Achilles *diſcipulus* Chironis, *qua vulneribus mederetur, quae ob id* Achilleos *vocatur. Hac ſanâſſe* Telephum *dicitur. Alii primum aeruginem inveniſſe, utiliſſimam emplaſtris, ideoque pingitur ex cuſpide decutiens eam gladio in vulnus* Telephi.

(bb) Libr. III. de natura DEOrum.

qui olivae dicitur inventor, *Apollinis* filius, *Theſeus*, qui *Neptuni*, reliqui, quorum Patres DII, non erunt in DEORUM numero? Et aliquot interjectis ita pergit: Itaque *Archillem Aſty alin es* inſulani ſanctiſſimè colunt, qui ſi DEUS eſt, & *Orpheus* & *Rheſus* DII ſunt - - - - - Vide igitur, ne virtutibus hominum iſti honores habeantur, non immortalitatibus. Patet itaque, DEUM habitum fuiſſe *Achillem*, non quod revera DEUM immortalem eundem eſſe crederent pagani, ſed quod virtutibus ejus hominis honorem iſtum deberi exiſtimarent. Quid? Quod novimus etiam belluas quasdam ab *Aegyptiis* propter ſola beneficia eſſe conſecratas, ſicuti apud eundem (c) *Ciceronem* legimus. Ipſi, qui irridentur, *Aegyptii*, nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt; Veluti Ibes maximam vim ſerpentum conficiunt, cùm ſint aves excellae cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro: Avertunt peſtem ab *Aegypto*, cùm volu-

(c) Libr. 1. de nat. Deorum.

volucreis, angueis, ex vaſtitate Lybiae vento Africo invectas interficiunt & conſumunt. Ex quo fit, ut illae nec morſu vivae noceant, nec odore mortuae. Et aliquibus interjectis ita infert: Ita concludam, tamen belluas à barbaris propter beneficium conſecratas &c. Coeterùm *Achilles* primis infantiae ſuae menſibus à Minerva nectare & ambroſia ſuſtentatus eſſe dicitur, aliud quippe nutrimentum reſpuens. Utrique medicinae ſeſe adplicùit, & in *Hippiatrica* quoque non fuit imperitus. Equis enim, teſte (d) *Plutarcho*, inter alia pabula praebuit apium, quia judicabat, equis praeter morem otioſis laedi pedes; adverſus quod damnum nullum laudabilius eſſet remedium quàm apium. A *Chirone* autem didicit inprimis medicinam diaeteticam, ſicuti iterum ex (e f) *Plutarcho* diſcimus.

§. LXVII. Ad Heroum horum

P 5 tem-

(d) Sympos. Lib. V. p. 677. & 678. & Lib. de audiend. Poët. p. 26.
(ef) Sympoſiac. Libr. V.

tempora pertinet quoque *Palamedes*, qui, quin aliquam medicinae habuerit peritiam, vel id eximio poteſt eſſe documento, quod peſtem, Helleſpontum ipſamque Trojam mirè devaſtantem à caſtris Graecorum, quae ante mœnia Trojana metati fuerant, ita averterit, ut nemo eâdem invaderetur. Divinaverat autem hanc peſtem ex eo, quod lupi ingenti numero ex monte *Ida* deſcenderent, homines aeque ac bruta crudeliter invadentes; Solumque medium vel ab eadem ſeſe praeſervandi vel funeſtos ejus effectus declinandi conſiſtere dicebat in rigidiore diaeta & abſtinentia à carnibus, corpore ſubinde exercitio convenienter exagitato.

§. LXVIII. Qui praeterea *Orpheum*, qui ſine dubio ad haec tempora referendus, quod expeditioni *Argonautarum* ſimiliter ac *Aeſculapius* interfuit, medicinae peritum fuiſſe exiſtimant, ſuis certè rationibus non deſtituuntur. Diſertè enim tradit (g h) *Pauſanias*, *Orpheum*

(g h) Boeotcor. p. 768.

um νόσων ἰάματα adinveniſſe, & (ik) *Plinius* teſtatur, quod *Orpheus* primus omnium, quos memoria novit, curioſius aliqua de herbis prodiderit. Confirmat hanc noſtram conjecturam id praecipuè, quod ope divinae hujus artis *Euridicen* uxorem ex inferis ad vitam revocaverit, quod aliter non intelligendum, quàm quod eandem graviſſimo morbo laborantem & morti jam vicinam reſtituerit & ex orco veluti revocaverit. Artis quoque magicae ac divinatricis, quae olim cum medica arctisſimè conjungebatur, uti jam ſuperius indicavimus, eundem peritum fuiſſe certum eſt, quam tamen non fuiſſe (l) *Magicam* aut diabolicam, probavit

(ik) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. II.

(l) Hanc tamen labem *Orpheo* adfricare non erubeſcit *Conringius*, qui medicinam quidem aliquam profeſſum fuiſſe concedit *Orpheum*, eam tamen mere magicam extitiſſe, potisſimùm cum antiquisſimis Poetarum Graecorum in univerſum ſingularis quaedam cum Daemonibus familiaritas interceſſerit, quale quid eorundem carmina non loque-

bavit *Gabriel Naudaeus* in Apologia pro viris doctis magiae falſò accuſatis. Excoluit inſuper Muſicam, in qua potentiſſimus fuit, & aſtrologiam, primusque lunam eodem modo, uti terram noſtram, inhabitari docuit, ſicuti ex (m) *Plutarcho* conſtat. Eidem dogmati ſubſcripſerunt poſteà plures alii magno numero Philoſophi, quos citavit & ordine enarravit (n) *Fabricius*. Sunt tamen, qui totum hoc, quod de *Orpheo* ejusquè ſcientiis adduximus, fabuloſum eſſe ajunt, inter quos nomen ſuum

rentur, ſed clamarent. Verùm meritò hoc crimine abſolvitur à *Naudaeo* in Apologia virorum magiae falsò ſuſpectorum, cujus argumenta, *Conringii* accuſationibus oppoſita, omnem illorum vim per tenues auras faciunt evaneſcere. Aſt Pax! Ne hoc audiant *Cenſores Halenſes*, qui me piaculum quoddam commiſiſſe putant, quod propemodum indignius, quam ipſe fecerit *Borrichius*, tractaverim *Conringium*. Itaque repeto: Pax.

(m) De placit. philoſoph. Lib. II.

(n) Bibliothec. Graec. Lib. I. Cap. XX. p. 132. & 133.

um jam olim profeſſus eſt *Ariſtoteles*: Ita enim (o) *Cicero* inquit: *Orpheum* Poëtam docet *Ariſtoteles* nunquam fuiſſe, & hoc *Orphicum* carmen *Pythagoraei* ferunt cujusdam fuiſſe *Cercopis*; (alii legunt *Cecropis*) quanquam alii rectius fortè exiſtiment, teſtimonio *Ariſtotelis* adeò magnam hâc in parte auctoritatem tribuendam non eſſe, quippe qui, ut alibi paſſim, ita & hic genio ſuo plus, quam par erat, indulſerit. Denique (p) *Plutarchus*, quod ſilentio velandum non eſt, de *Orpheo* memorat, quod eſu carnium providè ſemper abſtinuerit, volueritque fortaſſis hoc rigido vivendi genere aliis praebere exemplum continentiae, tanquam efficaciſſimi conſervandae bonae valetudinis remedii. Circumferuntur carmina quaedam *Orphica*, in quibus virtutes nonnullorum ſimplicium nec non curationes quorundam morborum decantantur, quae an vel genuina vel ſuppoſitia ſint, certò dici nequit.

§. LXIX.

(o) Libr. I. de Nat. Deorum.
(p) Convivio ſeptem Sapientum p. 159.

§. LXIX. *Orphei* diſcipulus, *Muſaeus* Poeta, huc quoque pertinet, qui pariter varia curandorum morborum remedia hominibus oſtendiſſe dicitur. (q) *Plinius* ipſum junxit *Orpheo* atque *Heſiodo*, atque *Polion* herbam ipſum praecipuè admiratum eſſe dicit. Similiter *Linus*, *Orphei* praeceptor, qui tamen priori loco connumerandus fuiſſet, hujus loci eſt, etiamſi argumentum, quo medicum eundem fuiſſe probatur, lubricum admodum ſit: Quanquam enim de fructibus & arboribus ſcripſerit, inde nonſtatim ſequitur, medicum fuiſſe *Muſaeum*.

§. LXX. Autolicus, Ulyſſis avus, cujus (r) *Homerus* mentionem facit, à nonnullis quoque medicinae peritus fuiſſe creditus eſt, quod filii ejus profluvium ſangvinis vulnerato femine carmine ſeu incantamentis magicis inhibuerint, etiamſi (s) Plinius de ſolo Ulyſſe

(q) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. II.
(r) Odyſſ. τ.
(s) Libr. XXVIII. Cap. II. Dixit *Homerus* profluvium ſanguinis vulnerato femine *Ulyxen* (*Ulyſſem*) inhibuiſſe carmine:

lyſſe hanc curam praedicet, qui tamen ipſemet tunc temporis ab apro (t) in *dextro humero* ſauciatus erat, adeoque fratrum ſuorum ope medica indigebat. Eidem tamen profeſſioni addictum fuiſſe *Ulyſſem*, inde non nulli concludunt, quod herba *Moly* à *Mercurio* ſibi indicata tàm prudenter uſus ſit contra incantationes *Circaeas*: Inter omnes enim, quos habuit, amaſios *Circe*, nemo aſtutius ejusdem converſatione uſus praeter *Ulyſſem*, quem proinde omnium impenſiſſimè amavit, ſicuti paulo inferius indicabimus.

§. LXXI.

Cui tamen *Homerus* contradicit Odyſſ. τ

- - - ἐπαοιδῇ δὲ αἷμα κελαινὸν ἔσχεθον: Ac proinde de *Autolyci* filiis potius id praedicat, non de *Ulyſſe*.

(t) *Pauſanias* potius vult, ſupra genu vulneratum fuiſſe *Ulyſſem*. Ita enim Phocic. S. Libr. X. Cap. IIX. inquit: In ea Gymnaſii parte, quae ſub dio eſt, feram aliquando ſuem natam tradunt: Eam *Ulyſſem* ad *Autolicum* proficiſcentem unà cum ipſius *Autolyci* filiis venatione perſecutum, & ab ea ſane vulnus ſupra genu accepiſſe.

§. LXXI. Quo jure nonnulli Phocum, Ornytionis filium & Phocicae gentis conditorem ad medicorum numerum referant, mihi non aequè perſpectum eſt, etiamſi eundem ad haec ferè tempora pertinere non obſtinatè negaverim. Dicunt tamen, eundem ab (u) inſania ſua liberaſſe *Antiopen*, per totam Graeciam oberrantem ac po-

(u) Hanc hiſtoriam plenius deſcribit *Pauſanias* Boeoticor. ſ. Lib. IX. Cap. XVII. hiſce verbis: *Phoci* monumentum *Bacis* ideò dixit, quod *Lyci* uxor *Antiope* prae caeteris Diis *Libero* Patri honorem habebat. Quum verò ab eo contendiſſet, quae vulgò prodita ſunt (i. e. *Dirce Bacchi* cultui addicta, quum perpeſſa dirum ſupplicium & tauri alligata caudae ab *Amphione* & *Zetho*, *Antiope* non repugnante, miſeris modis decerpta eſſet, *Bacchus* indignatus eſt *Antiopae*, eique furorem immiſit.) DEUM illi ajunt vehementer ſuccenſuiſſe. Et ex immiſſo furore mente captam per totam Graeciam Antiopen erraſſe: Phocū verò Ornytione Siſyphi filio genitum, inſaniae morbo eam liberaſſe & uxorem duxiſſe.

poſtmodum in uxorem duxiſſe; Quod ſi profesſionis medicae ſignum ſit, merebitur quoque nomen medici, qui foeminam furore uterino laborantem ſolo concubitu & exercitio venereo à graviſſimo morbo liberaverit, id quod tamen valdè abſonum.

§. LXXII. *Eribotes*, *Teleontis* filius, qui pariter *Argonautarum* expeditioni interfuit, majori fortè jure huc refertur, & medicorum vel chirurgorum numero accenſetur. (w) *Apollonius* enim *Rhodius* de ipſo refert, quod *Oileum*, *Ajacis* Parentem, quem aves monſtroſae, *Stymphalides* dictae, in humero graviter ſauciaverant, deligaverit ejusdemque ſollicitam curam habuerit. *Cadmus* denique, *Chironis* coaevus, ad eadem haec tempora pertinet, qui pariter à nonullis inter medicinae inventores numeratur: Quopropter etiam *Tyrii* ſingulis annis herbarum primitias ipſi offerebant, eo ipſo haud obſcurè innuentes, ipſum fuiſſe pri-

Q mum,

[w] Argonauticor. Lib. II.

mum, qui earundem uſum & applicandi modum hominibus oſtenderit.

§. LXXIII. Revertamur autem ad *Chironem*, qui cùm tot illuſtrium heroum inſtitutione & feliciſſima tot affectuum graviſſimorum tàm externorum quàm internorum curatione magnam ſibi celebritatem comparaverat, immortalitate tandem à ſuperis donatus inque coelos translatus eſt, ubi nomen ejus inter *Conſtellationes auſtrales* conſpicuum hiſce verſibus concluſum adparet :

Cetus & Eridanus, lepus, Orionque columba
Sirius & Procyon, Monocorum, Gallus & Argo
Hinc hydrus, crater, corvus, Centaurus *& ara &c.*

Caeterùm duas *Centaurus* poſt fata reliquit filias, quarum altera *Hippo* naturalium notitia non vulgari celebrem ſeſe reddidit: Unde & *Aeolum* naturae contemplationem docuit, ſicuti ex (x) *Clemente Alexandrino* & (y) *Cyrillo* adnotavit [z]

(x) Stromat. L. 1.
(y) Lib. IV. contra Julianum.

(z) *Aegidius Menagius.* Ejusdem tanquam vatis & in rebus aſtrologicis admodum verſatae meminit quoque (a) *Euripides*: Altera *Chironis* filia, *Ocyroë*, profeſſionem parentis amplexa eſt.

§. LXXIV. Tranſitum jam facimus ad *Aeſculapium* alterum, natione *Graecum* (De *Aegyptio* enim ſuperius diximus) omnium medicinae inventorum & famoſiſſimum & maximè notum, quippe qui (b) *Galeni* teſtimonio primus ab *Apolline* Patre inſtitutus medicinam hominibus tradidiſſe & inventor ejusdem extitiſſe dicitur: Cumque ante illa tempora ſolo uſu & experimentis res medica conflata fuiſſet, atque adeò ſola experientia ratione vacua, medicinam nondum rationalem effecerit: Hinc eandem perfectam & omnibus numeris abſolutam, nimirum

(z) Hiſt. mulierum philoſopharum, Diogenis Laërtii Libris de vitis philoſophorum adnexa n. 3.

(a) Apud Clement. Alexandrin. Strom. L. IV.

(b) Introductione ſeu medico p. m. 183.

divinam, *Aeſculapium* ſolum inveniſſe, ejusque ſucceſſores *Aſclepiadas* eandem poſteà veluti haereditario jure acceptam poſteris tradidiſſe, inter quos facilè omnibus praecelluerit *Hippocrates*, quippe qui primus conſummatam apud Graecos medicinam in lucem protulerit. *Aeſculapius* patrem habuit *Apollinem*; matrem verò *Coronidem*, ejusque natales admodum (c) *fabuloſè* deſcri-

(c) Fabulae enim quàm hiſtoriae ſimiliora ſunt, qua *Pauſanias* Corinthiac. p. 170 & 171. de natalibus *Aeſculapii* enarrat ſequentibus circumſtantiis: *Coronidem* cum Patre ſuo in *Peloponneſum* intraſſe, quae cùm adhuc ſe uterum ex *Apolline* ferre patrem celaſſet, in *Epidauriorum* finibus puerum enixa, illum in montibus expoſuiſſet; Infanti verò expoſito lac praebuiſſe capram, quae cum caeteris eo in ſaltu paſcebat, dum intereà canis eum cuſtodiret. Ibi Paſtorem caprarium, quum à reliquo grege in pecore recenſendo capellam unam & unà cum eâ canem aberraſſe animadvertiſſet, totum eum ſaltum ſtudiosè quaeritando peragraſſe: Inventum verò puerum quum tollere vehementer cupe-

ſcribit *Pauſanias*: Patet tamen inde, ſtatim poſt nativitatem ejus famam per terras ac maria evulgatam, ſanari ab *Aeſculapio* quôvis morbo laborantes, imò & mortuos excitari: Quam deinde famam confirmavit etiam reſponſum *Pythiae*, *Apollophani Arcadi* datum, cùm quaeſiviſſet ex oraculo; An *Aeſculapius* eſſet civis *Meſſeniorum*?

ret ac jam propius accederet, effulſiſſe ajunt cœleſtem ab eo ignem: Quo deterritum prodigio paſtorem, quum divinum quiddam id eſſe ſuſpicaretur, ſtatim retroceſſiſſe: Mox famam per terras ac maria omnia vulgatam, ſanari ad eo quôvis morbo laborantes, mortuos etiam excitari. Alios huic fabulae colores adfricat *Pindarus* Pythior. Od. III. *Coronidem Aeſculapio* jam gravidam cum *Iſchye*, *Elati* filio concubuiſſe: ob id interemptam à *Diana*, quod illa *Apollini* factam contumeliam ulciſci voluit; Rogo verò jam ardente, è media flamma puerum à *Mercurio* (alii volunt, ab ipſo *Apolline*) ereptum & ſic ſervatum eſſe.

Aſclepi auxilium cunctis mortalibus
mum
Filia, quem Phlegyae peperit mihi ju
cubili
In campis Epidaure tuis, formoſa
RONIS.

Unde concludit *Pauſanias*, *Epidauri* nitum *Aeſculapium*, & omnem hujus I cultum ex *Epidauro* adlatum.

§. LXXV. Praeceptores, à qui medendi ſcientiam accepit, hab primùm Apollinem ipſum, á quo dein (d) Chironi Centauro & alendus & rudiendus traditus eſt. Sub quor fideli manuductione tantos in a Apollinea fecit progreſſus, ut non fectus tantùm externos, vulnera & cera, ſed & internos, febres dolor que varii generis per potiones ano nas, inciſiones aliaq; remedia exter adplicata curaret; Imò tanta fuit ip medendi peritia, ut mortuos etiam vitam revocâſſe creditus fuerit, ſic exemplum (e) *Hippolyti* probat, qu

(d) Vid. Pindar. Pyth. Od. III. Epod. I Apollodor. Lib. III. Cap X. n. 3.
(e) Hanc fabulam *Plutarchus* Lib. de

ab equis dilaniatum & *Androgeum Minois* filium, quod palaeſtra caeteros ſuperaret, per invidiam, vel, ut alii memoriae prodiderunt, à *tauro Maratonio* occiſum ad vitam revocaverit: Id quod etiam *Propertius* ſequenti carmine ſignificare voluit, dum ita cecinit:

Et DEUS extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

tun. Roman. p 314. ſequentem in modum enarrat: *Theſeus Neptuni* filius, ſuſcepto filio *Hippolyto* ex *Amazone* Hippolyta ei ſuperinduxit novercam, Phaedram Minois filiam, quae privignum deperire orſa ad inceſtum per nutricem ſollicitavit. Ille relictis Athenis Troezenem ſe contulit, ibique venando incubuit. Impura autem ſpe iſta cùm excidiſſet, mendacibus de caſto privigno exaratis literis vitam laqueo finiit. Theſeus fidem literis habens à Neptuno petiit, ut Hippolytum perderet: Nam ab eo jus trium votorum habebat. Neptunus Hippolyto ad oram maris currum agitanti taurum immiſit, quo territi equi Hippolytum contriverunt.

Nec non & Q. *Serenus Sammonicus*, qui de Aeſculapio inter caetera ſic ſcribit:

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, atque in coelum manes revocare ſepultos:
Qui colis Aegaeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Haec verò omnia de lethaliter decumbentibus intelligenda eſſe rectè ſenſit *Diodorus Siculus.* Aliud memorabile curationis ab *Aeſculapio* peractae exemplum occurrit apud eundem (f) *Pauſaniam: Archiam* ſcil. *Ariſtaegmi* filium à convulſione membrorum, qua inter venandum correptus fuerat, in *Epidauria* ab ipſo ſanatum eſſe. Neque minus inter multas alias, quas peregit, curas celebris eſt, quam de *Nicomacho Smyrnaeo* referunt, qui corporis crasſitie usque adeò creverat, ut neque manibus podicem tangere neque corpus movere poſſet. Hunc per ſolas corporis exercitationes vehementes & veloces

(f) Corinth. S. Lib. II. Cap. XXVI.

loces, quas in magno habebat pretio, dextrè reſtituit, ſicuti (g) *Hieronymus Mercurialis* refert. Caeterùm de curationibus, quibus *Caracalla Pergami* uſus, (h) *Herodianus* pluribus videri poteſt.

§. LXXVI. Praeter medicinam rationalem, in qua excelluit, ipſam quoque veterinariam ſeu mulo-medicinam exercuiſſe dicitur, ſeu potius hanc cum illa conjunxiſſe; Id quod colligi poſſe videtur ex nummo quodam *Nicaeenſium*, in quo equus cum anterioribus pedibus humanis ſerpentem baculo circumvolutum ſeu ipſum *Aeſculapium* adprehendit, cujus nummi elegantem explicationem pluribus ſuppeditavit Illuſtrisſimus (i) *Spanhemius*. Hinc enim patet, hoc nummo tanquam in ſchemate quodam eleganter adumbrari, equorum ſimul ac hominum medicum fuiſſe noſtrum *Aeſculapium*.

§. LXXVII. Neque in hiſce ſolis

 ſub-

(g) De art. Gymnaſt. Lib. IV. c. VII. p. 169.
(h) Lib. IV. Cap. VIII.
(i) De uſu & praeſtantia Numiſmatum.

ſubſiſtebant *Aeſculapii* conamina, ſed medicinam *Gymnaſticam*, ſucceſſivis temporibus tantoperè celebratam aegrotantibus primus commendaſſe dicitur. Id enim diſertè docet (k) *Galenus: Quibusdam* (inquit) *neque iis paucis venari, equitare, atque armatos exercitari juſſit* Aeſculapius, *iisdemque ſtatim tum motuum ipſorum ſpecimen, utique quibus motus injunxit, tum armorum, quibus armatis exerceri praecepit, definivit. Non enim, quo pacto excitetur erigaturque animoſa pars, cum imbecilla ſit, praecipere ſat habuit, niſi etiam menſuram ejus ab exercitationum idea definiret.* (l) *Clinicen* quoque (m) primus exercuiſſe videtur. Unde

(k) De ſanitate tuenda Lib. I. p. m. 218.
(l) Vid. Hygin. Cap. 274.
(m) Non liquet enim ex ullo vetuſtiori monimento, hanc conſuetudinem inter medicos ante *Aeſculapii* tempora viguiſſe. Quid veteres *Babylonii* pro explorandis morbis eorundemque remediis facere olim conſueverint, alibi ex *Herodoto* adduximus. Eodem collineat *Plutarchus* Lib. de occultè vivendo p. m. 1128. Priſci, inquit, aegrotos ſuos in pu-

Unde omnes medici poſt haec tempora aegrotantes in lectulis ſuis viſitantes *Clinici* adpellati ſunt, quae laudabilis conſuetudo hodiè ab otioſis platearum publicarum conculcatoribus tantoperè in turpem abuſum versa eſt, ut ferè nihil agant aliud, quàm ut per domos aegrotantium hinc inde diſcurrendo viſitationibus ſupervacaneis aegrotantibus pariant moleſtias.

§. LXXVIII. Magnus praetereà Patronus fuit *Aeſculapius* incantationũ, quas

blico proponebant, ut praetereuntium quivis ſi quid vel ipſe eodem morbo conflictatus, vel ſimiliter laboranti opitulatus medelae noſſet, id aegrotanti ſignificaret. *Chiron Centaurus* antro ſuo concluſus petentibus conſilia ſubminiſtrabat; Donec tandem ab *Aeſculapio* edocti medici patientes in lectulis viſitarent, unde clinicorum nomen reportârunt, atque hodiè diſtinguuntur à circulatoribus, agyrtis & circumforaneis, qui fora pererrando medicinam faciunt, atque à viſitationibus aegrotantantium ſeveriſſime arcentur.

tis verbis vel ceremoniis collecta aut praeparata adplicantur, & effectus ſuos, quos exerunt, vix à qualitatibus vel proprietatibus naturalibus habere videntur. περιάπτων autem vocabulo veniebant medicamenta ex collo ſuſpenſa contra dolores capitis, vel amuletum contra incantationes magicas. Tanquam ſpecies hùc pertinent *ἀλεξητήρια* vel *ἀλεξιφάρμακα*, quae vel morſibus beſtiarum venenatarum vel pharmacis venenoſis vel effluviis morborum contagioſorum, febrium exanthematicarum & malignarum ipſiusque peſtilentiae, vel faſcinationi averruncandae &c. opponuntur, non tamen interius ſumta, ſed exterius vel collo adpenſa vel alii parti adplicita; Haec enim pro amuletis uſurpari, conſtat ex *Tiraquello* de Nobil. Tom. I. Cap. 31. p. 145. Hùc & *Φυλακτήρια* pertinent, quaſi dixeris remedia praeſervatoria, quae vox *Dioſcoridi* in frequentisſimo uſu, dum amuleta deſignandi animus eſt. Interdum *ἀμυντήρια* vel *νικητήρια* adpellantur, erantque olim incantamenta, quae gla-

diè à mulierculis credulis, agyrtis & impoſtoribus, & utinam non etiam a Me-

---

diatores vel ſuſpendebant e corpore vel ſuballigabant, ut vincerent. Huc etiam pertinent *figurae Talis manicae*, quae Arabibus Taliſman, Taliſma vocantur, ſuntque certa ſigilla ſub certo aſtrorum poſitu cuſa, tuſa vel fuſa vel etiam certis ſtellarum figuris notata, quae pariter ut amuleta malis averruncandis deſtinata eſſe creduntur. Eodem ſpectant *Teraphim Judaeorum*, quae tamen a figuris *Talismanicis* Arabum non differre demonſtravit *Hottingerus Hiſt. Oriental. Lib. I. Cap. 8. Paracelſo* ejusq; aſſeclis admodùm laudantur *Zenechta* vel *Xenechta*, quae ſunt praeſervativa contra peſtem collo adpenſa, v. g. argentum vivum avellanae incluſum &c. Hujus etiam loci ſunt armillae, monilia, ſcuta, epicarpia, ſacculi, Zonae, annuli medici vel potius magici, quorum virtutes contra incantationes magicas vulgò laudantur, & in foro publico à circumforaneis & agyrtis ignarae plebi venduntur. Denique interdùm certae tantum literae ſeu figurae chartae ſeu ſchedulae inſcribuntur, eaeque contra febres alioſque morbos

Medicis parùm ratiocinantibus, magni aeſtimantur. Quod tamen vitio tantope-

mirabili vi pollere creduntur. Ita barbarum ABRACADABRA, praemiſſis ✝ & nominibus divinae Trinitatis chartae inſcriptum & collo adpenſum febrem fugare, ſuperſtitioſum vulgus firmiter ſibi perſuadet, ita ſcil. ut elementa literarum ſemper minuantur ſequentem in modum:

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A

Quod hiſce verſiculis comprehendi vulgò ſolet:

Inſcribes chartae, quae dicitur ABRACADABRA
Saepius & ſubter repetis, ſed detrahe ſummam,
Ut magis atque magis deſint elementa figuris,
Singula quae ſemper rapies & caetera figes.
Donec in anguſtum redigatur litera conum
His lino nexis colum redimire memento.

toperè vertendum non eſt *Aeſculapi*[illegible] hom[illegible]

Simile amuletum contra febrem quar[illegible] nam ſupra ex *Buxtorffii* Synagoga Jud[illegible] ca, quod magnarum virium eſſe credu[illegible] ſuperſtitioſi Judaei, adduximus. Al[illegible] jucunda non minus quam ridicula eju[illegible] modi amuleta legi poſſunt apud *S*[illegible] *muthum in obſervationibus & Timaeum a Gu*[illegible] *denklee in caſibus medicinalibus.* Ex qu[illegible] bus proinde omnibus patet, haec amule[illegible] ta jam uſus antiquiſſimi fuiſſe, & ip[illegible] non tantum *Hebraeorum* populo, ſed [illegible] *Arabibus* ipſisque *Graecis* admodum fre[illegible] quentia. Pleniorem interim horu[illegible] omnium inquiſitionem qui deſider[illegible] evolvere poteſt *Jacobi Wolffii Scruti*[illegible] *Amuletorum medicum*, in quo de natu[illegible] & attributis illorum, notatis ſubin[illegible] ſuperſtitioſis atque illicitis, proli[illegible] diſſeritur: Ubi tamen notari vel[illegible] Auctorem ipſum candidè fateri, [illegible] propria plurimorum periaptorum ex[illegible] perientia deſtitutum à nimia credu[illegible] tate lectores ſuos merito dehort[illegible] intereà tamen omnem dictis amul[illegible] vim denegandam vix eſſe, verùm [illegible] cto potius curioſorum examini atq[illegible] ſaepius iteratae experientiae doctrin[illegible] iſtam commendandam

homini pagano & in gente ſuperſtitioſiſſima aetatem agenti, potiſſimùm cum veſtigia hujus ſuperſtitionis in ipſa quoque *Hebraeorum* gente deprehendamus, ſicuti ſuperius indicatum eſt. Quidni verò & alias gentes invadere debuiſſet eadem ſuperſtitio? Neque enim uſque adeò difficile eſt, comprehendere rationes, quare ejusmodi ridicula, ſuperſtitiosa, quin ſaepius impia remediorum genera in medicinam irrepſerint: Cùm enim animadverterent homines, ſaepe numero remedia ordinaria ſupervacanea eſſe, irrita omnique ſperato ſucceſſu carere: Hinc ab agyrtis, circumforaneis, vetulis aliisque impoſtoribus ejusmodi plerumque indifferentia, rariſſimè nociva remediorum genera ſibi perſuaderi paſſi ſunt, utpote quae vel collo adpenſa vel aliis humani corporis partibus alligata, vel annulis vel monilibus vel armillis incluſa, ſi nil juvarent, minimum nihil etiam nocere poſſent. Cùm verò ê contra haud rarò etiam optatos obſervarent ſucceſſus in iis, quibus fortis imaginatio aliquid leva-

minis attulerat: Hinc in ea ſuperſtitione magis magisque confirmabantur, & aliis ſimilia commendare amuleta non erubeſcebant, ſicque abuſus iſte latius ſemper ſerpendo per univerſam medicinam latiſſimè diffundi ſuaque pomoeria extendere coepit.

§. LXXIX. Denique Chirurgia inprimis fuit, cui omnium ſolertiſſimè *Aeſculapius* ſeſe adplicuit, quamvis adſenſum vix mereantur (p) *Celſus* (q) *Plato* & (r) *Plinius*, qui univerſam ejus Medi-

(p) Praefat. Lib. I. ubi ſic inquit: *Vetuſtiſſimus auctor* (Medicinae) Aeſculapius *celebratur; Qui quoniam adhuc rudem & vulgarem hanc ſcientiam paulò ſubtilius excoluit, in DEorum numerum receptus eſt. Hujus deinde duo filii*, Podalirius & Machaon, bello Trojano *Ducem* Agamemnonem *ſequuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt. Quos tamen* Homerus non *in peſtilentia neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii* ſed vulneribus tantummodò, ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit.

(q) Libr. II. de Republica.

(r) Hiſt. Nat. Lib. XXIX. Cap. I. *Auxit de-*

Medicinam intra ſolos Chirurgiae terminos concluſam fuiſſe & ſibi & aliis perſuadere moliuntur; Licet intereà non male a nonnullis concludatur, Chirurgiam omnium antiquiſſimam medicinae partem eſſe, & principalius etiam ab *Aeſculapio* excultam, non neglectis tamen adfectuum internorum curationibus, quarum quippe exempla hinc inde apud Auctores occurrunt. Ea enim temporum iſtorum indoles erat, ut magis de affectibus externis, opem chirurgicam poſtulantibus, ſolliciti eſſent, quam de internis, utpote quos vel patientia ſuperabant, vel ſolius Naturae autocratiae committebant, vel medicamentis ubique obviis facileque parabilibus, quaeque propria experientia ſubminiſtraverat, ſubjugare moliebantur; quae tamen procedendi ratio non aeque ſuccedebat in

inde famam etiam crimine (Medicina ſc.) *ictum fulmine* Aeſculapium *fabulata, quoniam* Tyndaridem *revocaviſſet ad vitam. Nec tamen ceſſavit narrare alios revixiſſe opera ſua clara* Trojanis temporibus, *quibus fama certior, vulnerum tamen duntaxat remediis.*

curatione affectuum externorum, reſtitutione v. g. Oſſium luxatorum vel fractorum, vulneribus, percuſſionibus &c. Unde majori cum ſolertia veteres medicos chirurgiae quàm medicinae internae incubuiſſe, ex dictis admodum perſpicuum eſt. Qualiscunque interim totius iſtius medicinae *Aeſculapiadeae* fuerit conditio, ſummae tamen apud *Graecos* exiſtimationis eandem fuiſſe non certum tantùm eſt, ſed & inde colligere licet, quod intra limites aedis *Aeſculapii* quenquam mori vetitum eſſet, proculdubio ne famae ejus ulla inureretur macula, teſte (s) *Pauſania* ſequentibus verbis: *Aeſculapii lucum circumquaque montes incingunt, intra cujus ambitum mori quenquam religio eſt.*

§. LXXX. Non mirandum verò eſt, *Aeſculapium*, qui tàm feliciter artem ſuam exercuerat, ac proinde de popularibus ſuis tàm benè meruerat, ἀποθέωσιν poſt fata adquiſiviſſe, cum à nativitate ſtatim DEUS haberetur, ſicuti

(s) Corinthiac. S. Lib. II. p. 172.

cuti idem vult (t) *Pauſanias:* DEUM verò (inquit) ſtatim ab initio habitum *Aeſculapium*, neque ejus religionem ſolo temporis progreſſu & fama hominum profeciſſe, & aliis argumentis colligo, & ex *Homeri* verſibus, quibus haec ille de *Machaòne* dicentem facit *Agamemnonem*.

Talthybi hùc propera, magnumque Machaona nobis
Duc, hominem Aſclepi genitum de ſemine.

Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, hominem DEI filium. Hominem vero fuiſſe inde manifeſtum redditur, quod fulmine ipſum deleverit *Jupiter* & poſtmodum ad aſtra ſub nomine *Ophiuchi* tranſtulerit, ſicuti apud (u) *Apollodorum* & (w) *Lactantium* legere eſt. Nullum enim humanitatis certius argumentum eſt quàm mors. Alii, quorum opinioni *Suidas* accedit, volunt, *Aeſculapium* peripneumonia ſeu inflammatione pulmonum mortuum eſſe, derelictum

 quip-

(t) Corinthiac. S. Lib. II. p. 172.
(u) Lib. III.
(w) Inſtitut. Divinar. Lib. I. Cap. X.

quippe ab arte, quam tanta cum feli-citate exercuerat in aliis; Et opinionis ſuae patrocinium inde mutuantur, quod pleuriticis ſaepè latus adfectum colore livido ſuffuſum adpareat, idque fabulae primas ſuas dediſſe origines, qvaſi fulmine percuſſus periiſſet *Aeſculapius*. Qvae enim de cauſis, qvare fulminari à DIIs meruerit, nonulli adferunt, praetendentes ſcil. vel invidiam DEOrum, ne artem divinam plures diſcerent, vel accuſationem *Plutonis*, ne infernus incolis privaretur, vel avaritiam aut inſanam pecuniae cupidinem, qua corruptus *Hippolytum* ad vitam revocaverit, pleraque fabuloſa ſunt & Majeſtate DEOrum indigna.

§. LXXXI. Hanc *Aeſculapii* divinitatem Graeci aeque ac Romani agnoverunt, probantque eandem veteres quaedam inſcriptiones, quales apud (x) *Janum Gruterum* leguntur. AESCULAPIO ET HYGIAE CETERISQUE DIIS DEABUSQUE. It. NUMINI

(x) Corp. Inſcript. p. 67. n. 9. & 10. It. pag. 68. n. 5.

NI AESCULAPI ET HYGIAE. It. ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ ΣΩΤΗΡΣΙΝ I. e. Aſclepio & Hygiae Servatoribus. Aliam eamque ineditam Inſcriptionem Illuſtrisſimus *Spanhemius* Epiſtola prima ad *Morelliū* profert talem: ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΣΩΤΗΡΙ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ: i. e. Aeſculapio Servatori & Saluti; Quod deinde ex *Coorum* & *Nicaeenſium* nummis clarius illuſtrat idem Illuſtrisſimus *Spanhemius* ac demonſtrat, *Aeſculapium* in iisdem Servatorem dici. Memorantur inſuper in nummo quodam *Ancyrano* ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΙΑ, ludi in *Aeſculapii* Servatoris honorem celebrati, qui divinitatem ejus ſatis commendant. Ut nihil hac vice dicam de templis in honorem ejus erectis, quorum celebriora fuerunt (y) *Pergamenum*, (z) *Epidaurium*, *Coum*

(y) Unde etiam cognomen *Pergameni* adquiſivit; Hinc *Reineſius Inſcript. p. 154.* talem adfert: Aeſculapio Pergameno; Quod Pergami cultus divinus ipſi praecipuè exhibebatur, quorſum quippe ſeſe conferebant, qui valetudinis cauſa DEUM conſulturi erant, & ubi per ſomnia oraculum reſpondere & reme-

Coum, *Cyrenaicum* & ad formam ejus (a) *Lebenaeum* in *Creta* & (b) *Romanum* in inſula Tiberina; Quare etiam inſula *Aeſculapii* vocata fuit: Hinc *Tiberinam* inſulam cum *Aeſculapio* advenient ente in nummo delineatam exhibet idem illuſtrisſimus (c) *Spanhemius*.

§. LXXXII. Simulacrum hujus DEI á variis varié pingitur: Potiſſimùm verò in numiſmatibus *Graecorum* variis formis conſpicitur, ſicuti prolixé videri poteſt apud *Vaillant deſcriptioni*

dia indicare credebatur: Quale quid de Romanorum Imperatore *Antonino Caracalla* refert *Herodianus* Libr. IV. Cap. VIII. quod Pergamum adierit, ut Aeſculapii curationibus uteretur.

(z) Hoc cognomen Epidaurii accepit ab Epidauro urbe, ubi pariter colebatur; Unde rurſus Thomas Reineſius Inſcript. p. 152. talem habet: AESCULAPIO EPIDAURIO.

(a) Vid. Pauſan. Graeciam Corinth. Cap. XXVI.

(b) Vid. Liv. Lib. II. Cap. V.

(c) De uſu & praeſtantia Numiſmatum Differt. III. p. 181. & 182.

ptione Numiſmatum Graecorum. Nonnunqvam enim conſpicitur cum baculo, cui ſerpens involutus eſt. Nonnunquam *Aeſculapius* & *Hygieia* ſtantes cum attributis. Interdum idem conſpicitur dextra gerens baculum cum ſerpente, in templo 4 columnarum, cum inſcriptione: SERVATOREM AESCULAPIUM NICAEENSES ſc. venerantur: Modò *Aeſculapius* ſtans cum pallio & baculo, cui ſerpens involutus. Modò *Hygia* & *Aeſculapius* cum attributis Teleſphoro intermedio cum Epigraphe: *Sub Cajo Pontifice Bagenorum in Lydia.* In nonnullis nummis antiquis, qualem in *Gente Acilia* idem adfert *Vaillant* N. III. caput *Aeſculapii* laureatum pingitur, in cujus poſtica parte baculus, cui ſerpens involutus & literae M. ACILI adſcriptae. Aliâs notum, quod imago *Aeſculapii* etiam deſcribatur, ſicuti in nummo apud *Albricum* de DEORUM imaginibus, tanquam homo barba admodum prolixa, habitu medici indutus, cujus manus baculum cum ſerpente geſtat intorto:

R 5 Unde

Unde (d) *Dionyſius* Tyrannus ſimulacro illuſit barbamque auream detraxit dicens: Non decere *Apollinem* imberbem (talis enim plerumque pingitur) barbatum habere filium. Nonnulli artifices *Aeſculapium* pingunt tanquam portantem ſuper manum Gallum, quo ipſo ſymbolo ſignificare volunt tempus matutinum & ſolis ortum adpetentem. Providè tamen addit (e) *Plutarchus*, quod quidem ejusmodi artifices in multis elegantes ſint, ineptias tamen & curioſitatem non ubique evitent. Prae reliquis omnibus ſingulari animadverſione dignus eſt nummus *Pergamenorum*, quem ex theſauro Illuſtriſſimi Comitis Schwartzburgici profert (f) *Andreas M-*

(d) Ita referunt Cicero Lib. de nat. DEORUM Cap. XXXIV. Valer. Maxim. Lib. I Cap. I. & Lactant. Lib. II. Cap. IV. Memini tamen, in nummo quodam Antonini Pii imberbem pictum fuiſſe *Aeſculapium*, ſicuti apud Illuſtriſſimum *Spanhemium* de uſu & praeſtantia nummiſmatum videre eſt.

(e) Lib. de Pythae Oraculis p. 400.

(f) Specimin. Rei numar. antiq. p. 30. & 31.

Morellius, in cujus uno latere exhibetur Imperator, Caeſar *Lucius Aurelius Verus*; Caput *Veri* laureatum: In altero vero *Aeſculapius* in Tenſa ac duobus Centauris cum magnis accenſis facibus, verbis adſcriptis: Sub Praetore Atyllio Cratippo, Pergamenorum Bis Neocororum Bis: Cujus nummi eruditam explicationem nobis pariter ſuppeditavit Illuſtriſſimus *Spanhemius* Epiſtola quarta ad *Morellium* data.

§. LXXXIII. Quod ſignificationem omnium horum ſymbolorum attinet, diverſi iterùm diverſa hìc ſentiunt. Hoc certe ex antiquorum monimentis perſpicuum eſt, Dracones & Serpentes *Aeſculapio* ſacros modò vaticiniorum modò ſalutis ſymbola haberi. *Julius Hyginus* in *Ophiucho* de baculo *Aeſculapii* & ſerpente ita ſentit: Quum *Aeſculapius Glaucum* ſanare cogeretur, inclusus cuidam loco ſecreto, bacillum tenens manu, quum, quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus arrepiſſiſſe, quem *Aeſculapius* mente commotus interfecit, bacillo fugientem

entem feriens ſaepius. Poſtea fertur alter anguis eò veniſſe ore ferens herbam & in caput ejus impoſuiſſe, quo facto fugiſſe: Quare *Aeſculapium* uſum fuiſſe herba eadem, & *Glaucum* revixiſſe. Itaque anguis, in (g) *tutela Aeſculapii* eſſe dicitur. (h) *Plinius* anguem *Aeſculapio* dicatum pariter adſerit ſimulqve rationem addit, multa ei ineſſe remedia & ideò *Aeſculapio* dicari. (i) *Phornutus* ſerpentem *Aeſculapio* adpingi ſuſtinet, qvod aegrotantes & convaleſcentes ê morbis quaſi reviviſcant ac ſenectutem exuant, baculum vero, ad indicandum, quod niſi tali cura continuò erigamur ac veluti confirmemur, ad imbecilliorem continuò valetudinem aequò citius prolapſuri ſimus. Unde (k) *Macrobius* in hunc noſtrum ſenſum rectè inquit: Ideò ſimulacris eorum (*Aeſculapii* nempè & Salutis) jungun-tur

(g) Vid. *Vaillant* in explicat. nummor. p. 6. & 7. Vol. I.

(h) Hiſtor. Nat. Lib. XXIX. Cap. IV.

(i) Lib. de nat. DEorum.

(k) Saturnal. Lib. I. Cap. XX.

tur figurae Draconum, quia praeſtant, ut corpora humana, veluti infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant vigorem, ut vireſcunt Dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta. Alii ſymbolum vigilantiae volunt eſſe dracones ſeu ſerpentes: Unde *Pompejus Feſtus* ita inquit: Ejusdem (Aeſculapii) tutelae eſſe draconem, quod vigilantisſimum ſit animal, quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxime apta eſt. Quod verò prolixa veſte velatum interdum conſpiciatur ſimulacrum, adeò ut facies tantùm, manus imiq; pedes adpareant, ſicuti à (l) *Pauſania* deſcribitur, id ſecundum alios prudentiam ſimulqve taciturnitatem, medentibus adeò neceſſariam, deſignat. En ſymbola *Aeſculapii* eorundemqve ſignificationem!

§ LXXXIV. Qualem *Romani* cultum *Aeſculapio* exhibuerint, poſteaquam ſolemni legatione *Epidauro* expetitus in *Tiberinam inſulam* ſub nomine *Draconis* advectus fuit, non ita expeditum eſt. Ex

(l) Corinthiacor. Cap. XI.

Ex (m) *Plutarcho* novimus, fanum *Ae-ſculapii* extra urbem fuiſſe, de cujus inſtituti *Romanorum* ratione ita differt: *Cur* Aeſculapii *fanum extra urbem eſt? An qvia ſalubrius extra quàm intra urbem degi putant? Nam* Graeci *quoque fere locis puris & ſublimibus poſita* Aeſculapii *habent ſacraria. Aut quod DEUM illum* Epidauro *accerſitum veniſſe* Romam *exiſtimant?* Epidaurii *autem non in urbe ſed procul inde templum* Aeſculapii *habent. Aut quod angue apud inſulam è trireme egreſſo & e conſpectu hominum ſublato ipſum DEUM arbitrantur locum ſui templi indicaſſe?* De ſymbolis verò ejusdemqve ſignificationibus *Sextus Pompejus Feſtus* ita differit: *In Inſula* Aeſculapio *facta aedes fuit, quod aegroti à medicis aqua maximè ſuſtententur. Ejusdem eſſe tutelae draconem, quod vigilantiſſimum ſit animal, quae res ad tuendam valetudinem aegroti maximè apta eſt. Canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificet artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remedium. Huic Gallinae immolantur.*

§. LXXXV.

(m) Lib. de quaeſtion. Roman. p. m. 286.

§. LXXXV. Videant itaque, quomodo rationes ſuas ſubducant, qui totum hoc, quod de *Aeſculapio*, ejus profectibus in arte medica, miraculoſis curationibus, cultu divino &c. retulimus, inter commenta vel ſaltim allegorias recenſendum eſſe, adſerere non dubitant; A quorum partibus video ſtare *Sidonium* quendam apud (n) *Pauſaniam*, qui *Aeſculapium* nihil aliud eſſe contendit, quàm aërem, ex quo bona valetudo (quam *Graeci* υγιειαν adpellitant) tàm homini quam cunctis aliis animantibus exiſteret. *Apollinem* verò, qui ſol ipſemet eſſet, jure patrem *Aeſculapii* perhiberi, quod anniverſarias viciſſitudines curſu ſuo conficiens, aëri ſalubritatem impertiat. Verùm nimis ſplendidè videretur nobis haec ſcena de *Aeſculapio* adornata eſſe, quàm ut eandem nudè fabuloſam, aut, ut mitius loquamur, merè allegoricam habere queamus. Quis putet, Graecos aequè ac Romanos, gentem elegantiorum literarum amantisſimam uſque adeò

(n) Achaicor. ſ. Lib. VII. p. 583.

deò inſaniviſſe, ut tanto cum adparatu ſolis allegoriarum luſibus ſibi & aliis impoſuiſſe credenda ſit?

§. LXXXVI. Aſt tempus eſt, ut ad poſteritatem *Aeſculapii* tranſeamus: Duo enim ex lumbis ejus prodiere filii, (o) *Machaon* & *Podalirius*, haud degeneres patriarum virtutum & artium haeredes, qui, ut (p) *Celſus* habet, in *bello Trojano* Ducem *Agamemnomem* ſecuti ſunt, ſuiſque commilitonibus non mediocrem attulerunt operam. Filias verò plures habuit, quarum pleraeque etiam profeſſionem parentis amplexae ac demum in DEARUM numerum receptae. Ad ſtirpem *Aceſonis* vel *Jäſonis* & *Higieiae* explicandam multùm mihi facere videtur nummus aureus, cujus in *gente Acilia* explicanda meminit *Vaillant N. III.* quique exhibet caput muliebre laureatum *Salutis*, in poſtica tripodem, ſupra quem vas di-

(o) Vid. *Pauſan.* Graec. Corinth. ſ. L. II. Cap. XI. & XXVII.

(p) In prooemio: Locum integrum jam ſuprà excerpſimus.

dictum, tandemque hinc & inde ſtella cum epigraphe: M. Acil. M F. C. N. Glabrio. Hujus denarii explicationem loco citato ſequentem tradit D. *Vaillant*: Caput laureatum Salutis eſt, quae ad indicandam nominis originem *Acilii* ab ἀκέομαι, quod eſt ſanare, ab *Acilio* ſignatur. Filia *Aeſculapii* credebatur, cujus meminit (q) *Marcianus*: Harum altera ab *Ariſtophane* ὑγιεία, altera Ἰασώ vel *Jäceſo* adpellatur in *Pluto*. Tripus in averſa ad ſacra ejus DEAE ſpectat; Illud autem inſtrumentum pedibus conſtabat tribus, ſuper quo ſacra fiebant. Ex vaſe autem dicto ſupra tripodem poſito affundebat liquorem, qui ſacra agebat. An verò ſtellae duas ſorores, *Hygieiam* & *Aceſonem*, *Aeſculapii* filias deſignent, Juxta *Hippocratem*, qui duas tantùm in juramento commemorat? An ad *Aeſculapium* patrem & *Coronidem* tanquam ſanitatis numina ſpectent, dubium eſt? Sed de hiſce *Aeſculapii* filiabus dicemus poſteà.

S §.LXXXVII.

(q) Lib. II. Nuptiar.

§. LXXXVII. *Machaon* (r) natu major *Aeſculapii* filius artem militarem aeqve ac medicam atq; chirurgicam calluit, idque ſecundum conſuetudinem Heroum iſtius temporis, teſtibus *Hercule*, *Ariſtaeo*, *Theſeo*, *Telamone*, *Teucro*, *Jaſone*, *Peleo*, *Achille* aliisque, qui non minus fortes ac ſtrenui in bello, quàm in arte medica periti fuêre. *Machaon* enim fuit unus (s) eorum, qui *equo Trojano* incluſi *Trojam* ingreſſi ſunt, eandem occupaturi. In quadam *Trojanorum*

(r) Huic noſtrae adſertioni nihil praejudicii adferre poteſt, quod *Homerus*, horum duorum *Aeſculapii* filiorum mentionem faciens, *Podalirium Machaoni* ſemper ſoleat praeponere; Id enim non aliam ob rationem quam metri cauſa factum eſt; Ita enim *Homerus* Iliad. B.

Τῶν αὖθ᾽ ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
Ἰητῆς ἀγαθὼ, ποδαλείριος ἤδε Μαχάων:

Quos verſus *Eobanus Heſſus*, celeber quondam Germaniae vates ita latio reddidit:

Quos duo ducebant fratres, Phoebique Nepotes
Matre Coronide, praeſtantes arte medendi
Belligerique ambo, Podalirius atque Machaon.

(s) Vid Hygin. fab. Lib. I. Cap. 81. & 113.

rum eruptione in humero etiam graviter ſauciatus fuit, indeqve eſt, quod *Homerus* introducat *Neſtorem*, ſagitta percuſſum, *Machaonem* conſolantem, tandemqve velitatione contra *Eurypylum*, *Telephi* filium occubuit, ac *Meſſeniae*, quorſum ejusdem *Neſtoris* cura oſſa ejus delata fuerant, ſepultus. Curationes ab ipſo peractae demonſtrant, ſolertius ipſum chirurgiae quam medicinae internae incubuiſſe: Deligavit enim vulnera *Menelao*, cruore congrumato prius expreſſo ac deterſo, non verò ore aut labiis per ſuctionem, uti nonnulli credunt, educto, ac demum remediis lenientibus ſecundum eam, quam à Patre ſuo didicerat, praxin, deſuper impoſitis. Eadem dexteritate curavit etiam (t) *Philoctetem*, in inſula *Chryſe* à ſerpentis ictu graviter laborantem, i. e. a claudicatione eundem liberavit: Multos poſt ſe reliquit filios, *Nicomachum*, *Gorgaſum* & *Sphyrum*, cujus ultimi (u) *Pauſanias* mentionem facit, *Alexa-*

(t) Vid. Pauſ. Graec. Arcadicor. Cap. XXXIII.
(u) Corinthiacor. Dap. XX.

noris illius, cui apud *Sicyonios Titanae* honores habentur, frater: Item *Polemocrates, Alexanoris* frater, qui pariter *Machaönis* filii fuerunt. Horum pleroſque patriam profeſſionem ſecutos eſſe, ea haud obſcurè docent, quae de de *Polemocrate* refert (w) *Pauſanias* ſequentibus verbis: *In eo eſt aedes* Polemocratis; *Fuit is & ipſe* Machaönis *filius*, Alexanoris *Frater: Medelas morborum & hic incolas docet; Quare illi accolae honores habent.*

§. LXXXVIII. *Podalirius Machäonis* frater, ex *bello Trojano* redux, dignum (x) medicationis, in *Syrna*, Regis *Damaethi* filia, peractae tulit praemium. Cùm enim ipſi ex *Bello Trojano* in patriam revertendi animus eſſet, fortè fortuna ad littora *Cariae*, grandi excitata tempeſtate adpulſus, à quodam paſtore receptus eſt, qui cùm percepiſſet, ipſum profeſſione medicum eſſe, ad *Damaethum Cariae* Regem ipſum dedu-

(w) Corinthiacor. Cap. XXXVIII.

(x) Vid. Stephan. Byzantin. hanc hiſtoriam referentem in voce Syrna.

duxit, cujus filia, quae ex alto domus prolapſa fuerat, graviter decumbebat. Huic (y) *Venaeſectionem* in duobus ador-

(y) Novum hoc venaeſectionis in hominibus adminiſtratae exemplum eſt. Non enim quenquam ante *Podalirium* venam ita ſecuiſſe legimus. Tempore *Hippocratis* verò misſiones ſanguinis per venaeſectionem, cucurbitulas ſcarificatas & ipſam quoque arteriotomium, non ſolum in brachiis & pedibus, ſed & in fronte ac lingua aliisque partibus admodùm frequentabantur: Unde inferimus, jam diu ante *Hippocratem* multiplicia circa venaeſectionem experimenta fuiſſe inſtituta; Aliàs enim tanta cum audacia nec venaeſectio illa particularis, nec arteriotomia fuiſſet ſuſcepta. Gradatim enim tentatas & in uſum vocatas eſſe haſce operationes, rationi valdè congruum eſt. Neque vero inventu uſq; adeò difficile fuit hoc chirurgiae genus; Cùm enim obſervarent primi homines, haemorrhagia narium ſaepe felicisſimè ſolvi dolores capitis, & fluxu menſtruorum ſingulis menſibus ex voto ſuccedente ſanas eſſe

nabat brachiis, idque tàm felici cum ſucceſſu, ut mox convaleſceret; Quod ingens beneficium remuneraturus *Damaetus* filiam ſuam *Syrnam* huic corporis ſui medico dedit in matrimonium, ſimulqve dotis loco *Cherſoneſum* ipſi conceſſit, ubi duas poſteà civitates condidit, quarum alteram à nomine uxoris ſuae *Syrnum* denominavit, alteram verò *Bibaſſum*, à nomine paſtoris, qui poſt naufragium tàm humaniter ipſum exceperat. Reliquit poſt ſe filium *Hippolochum*, ex cujus ſtirpe *Hippocratem* deſcendiſſe, ipſemet ſateri non erubeſcit.

§. LXXXIX. Habuit quoque idem *Aeſculapius* numeroſas filias, & ſingulas

foemellas, eodem verò p. n. ſubſiſtente variis incommodis easdem ſubjici: Non debuerunt non concludere, ejusmodi misſiones ſanguinis artificiales, deficientibus ſpontaneis & naturalibus, opponendas eſſe plethorae incommodisque cum eadem (potisſimum ſi commota fuerit) conjunctis; Hoc enim praecipuè caſu oeconomiae animalis gravis & oneroſa eſſe ſolet.

[..]s quidem paternae profesſionis peritas, uti vel ex ipſis earundem nominibus liquet. Sunt enim *Hygieia* & *Panacea*, per quas jurare cogebantur aeqve ac per *Apollinem* ipſum Medicinae Candidati tempore *Hippocratis*; Praeter *Panaceam* *Jäſo* vel *Aceſo*, *Aegle* & *Roma*, Pleraeqve in Divis numeratae & ſalutis DEAE habitae: Unde incidenter liquet, jam antiquiſſimis temporibus ſexum ſequiorem profeſſioni medicae ſeſe immiſcuiſſe, ac hodieque fruſtrà laborare Practicos, ut easdem à ſacris artis ſuae abarceant; Licet intereà negari nequeat, Sapientiſſimo conſilio ab Athenienſibus lege cautum eſſe, ne qvae (a) foemina medicinam

 diſce-

(a) Hanc *Athenienſium* legem refert *Hyginus* fab. CCLXXIV. qua cavebatur, ne ulla foemina medicinam diſceret, adderem ego, vel exerceret. Equidem hiſtoria medicinae locuples teſtis eſt, ſexum ſequiorem omnibus temporibus profesſioni medicae ſeſe immiſcuiſſe, ſed ſimiliter inde liquet, cordatiores medicos turpi huic abuſui graviter ſemper ingemuiſſe, & ad culinam vel colum eas-

diſceret, multò verò minus exerceret

§. XC.

dem relegandas eſſe, rectius exiſtimaſſe. Intereà inter mulieres medicas prima hoc nomine inter veteres inclaruit Isis, *Aegypti* Regina, cujus hiſtoriam ſuperius exhibuimus. Eandem medicinae exercitae laudem nonnulli tribuunt *Cleopatrae*, famoſae pariter *Aegyptiorum* Reginae, mulieri formoſisſimae, cujus tamen conamina ultra coſmetica, pro concilianda corporis venuſtate, cujus quippe ſtudioſisſima erat, vix extendere ſeſe videtur. Inprimis verò artificium obſtetricandi exercuiſſe mulieres *Aegyptiacas*, ipſo ſacrum literarum teſtimonio haud obſcurè addiſcimus. Et ſicuti ſuperius jam obſervatum eſt, medicinam ab *Aegyptiis* tranſiiſſe ad *Graecos*. Ita ſimiliter mulieres jam tum medicas apud *Graecos* fuiſſe certisſimum eſt. Ex ipſa *Aeſculapii* ſtirpe, quae prodierunt, filiae numeroſisſimae, omnes artis medicae peritae fuerunt, ſicuti in textu mox pluribus indicabitur. Eodem quoque nomine celebres apud antiquos fuère *Medea* & *Circe*, quarum tamen medicinam maximam partem magicam fuiſſe omnes vulgò clamant, à quo tamen crimine easdem ſuo tem-

§. XC. Maxima *Hygiae* ſive *Hygi-*
S 5 *eiae*

pore liberabimus. Inter mulieres *Graecas* medicinae peritas ſilentio quoque praetereunda non eſt *Agnodice*, quae foemellis in partu laborantibus adfuit, quarum intempeſtivus pudor viros medicos arcebat: Denique ſicuti medicinam à *Graecis* ad *Romanos* tranſiiſſe novimus: Ita ſimilem in modum apud Romanos quoque medicas fuiſſe mulieres, dubitandum non eſt. Hujus enim rei teſtes ſunt antiquae quaedam Inſcriptiones, qualis apud *Pignorium* Tract. de ſervis p. 77. legitur.

SECUNDA
LIVILLAE S.
MEDICA.

Item *Veronenſis* ſequentis tenoris:

C. CORNELIUS
MELIBOCUS SIBI
ET ENTIAE ELIDI
MEDICAE
CONTUBERNALI.

Multarum aliarum mulierum tanquam medicarum ut *Latonae*, *Angitiae*, *Epionis* &c. mentionem in monimentis antiquorum pasſim injici videmus, quarum nomina & hiſtoriam paulò poſt exhibebimus. Easdem tamen omnes

eiae, *Aeſculapii* (b) filiae videtur fuiſſe aucto-

ſola tantum Gynaecia curaſſe & mulierum paſſionibus medelam adhibuiſſe, ſumme nobis probabile videtur. Quamvis autem ex his abunde pateat, ſexum ſequiorem omni tempore in artem medicam involâſſe, firmum tamen manet, ſapientiſſimam Athenienſium legem fuiſſe, qua mulieres ab omni praxi medica ſolemniter arcere omni modo adniſi ſunt. Dignitas enim & praeſtantia medicorum ipſiuſque artis vix patitur, ut mulieres ad colum & culinam natas in conſortium ſuum adſciſcant, quippe quod toti medentium ordini foret ignominioſum. Accedit, mulieres plerumque anſerum inſtar garrulas eſſe, & nulla tamen virtus magis decet Practicum artis, quàm taciturnitas: Quare eandem meritò à Candidatis medicinae, honoribus Doctoralibus exornandis in Juramento ſolemni efflagitant Promotores: Quia multorum adfectuum ea eſt indoles, ut, ſi praeter neceſſitatem à medico garrulo propalentur, magnum aegrotanti hinc enaſci queat praejudicium. Nec denique ea aut ingenii aut judicii felicitate pollent mulieres, quae ad

auctoritas tàm apud *Graecos* quàm *Roma-*

ſacra hujus artis penitius evolvenda requiritur. Et licet communiter objiciatur, obſtetricia tamen munera, quamvis reliquum medicinae exercitium ipſis eripiatur aut interdicatur, rectius ac tutius mulieribus, quam viris committi; Obſtat tamen laudabilis Gallorum, Belgarum ac Helvetiorum conſuetudo, qui publico ſtipendio alunt juratos quosdam Chirurgos, mulieribus, difficultate v. g. partus laborantibus ſuppetias ferentes, à qua conſuetudine, omni tamen laude digniſſima, niſi tantoperè abhorrerent noſtratium muliercularum mores, quis dubitat, fore, ut plerasque illarum ex lethi faucibus erepturi aut ſaltem à funeſtis ſymptomatibus praeſervaturi eſſent talium operationum periti chirurgi vel medici. Caeterum prolixius haec deducta leguntur in Diſſertatione noſtra epiſtolica ad *Johannem Georgium Weberum*, noſtrum quondam Auditorem valde induſtrium, cum in Academia Fridericiana ad gradū Doctoris ſolemniter capeſſendum, publice diſputaret.

(b) Omnes *Aeſculapii* filiae, *Hygieia* & *Panacea*, *Jaſo*, *Aceſo* &c. nomina ſua deri-

manos: DEA enim bonae valetudinis habi-

varunt à *ſanando*, quia medentur, & praebent, quae ſunt bonae valetudinis. Fuiſſe autem *Hygieiam Aeſculapii* filiam (Nonnulli potius credunt, fuiſſe uxorem ejus) ex *Pauſaniâ* Atticor. Cap XXIII. conſtat, ubi memoratur ſimulacrum *Hygiae*, quam *Aeſculapii* filiam eſſe perhibent. Hinc etiam in Templis imago ejus juxta Patrem poſita fuit: Unde idem *Pauſanias* Corinth. Cap. XXIII. ſimulacrum habet, ſedentem *Aeſculapium* juxta quem *Hygeia* ſtat. Accedit, *Hygiam* longo demum tempore poſt *Aeſculapium* cultam fuiſſe, ut recte pro ſcopo noſtro obſervat Monſieur *de Boze* in diſſertatione anno 1705. edita Pariſiis, *ſur le culte, que les anciens ont rendu à la Deeſſe de la ſanté* ſequentibus verbis: *Il eſt asséz ſingulier, que les* Grecs *n'ayent ainſi reveré la Deeſſe de la ſanté, qu' apres avoir long-tems auparavent les memes honneurs á* Esculape, *qu' il regardoint comme l' auteur de la Medecine; En effet elle n'avoit aucun temple dans la* Grece, *qu' Esculape en avoit deja de fameux* à Cyrenes, à Smyrne, à Pergame, & *ſur tout* à Epidaure, *ou etoit cette ſtatue d'or ſi celebré dans l' hiſtoire* &c.

habita fuit, eoque nomine divino cultu adfecta, ſicuti ex veteri quadam Inſcriptione *Albae Juliae* reperta, & à *Grutero* pag. 68. ſequentibus verbis memorata conſtat:

ΚΥΡΙΩ ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΚΑΙ ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙC ΕΠΙΚΟΙΡΙΟΙC
I. e.

Domino Aeſculapio & Hygiae, Diis auxiliatoribus. Unde DEAM Salutis habitam fuiſſe à *Graecis* clarè conſtat; Minore fortè ſuperſtitionis ſuſpicione, quam *Aegyptiis* ſolemne erat, qui, prout nonnulli referunt, ipſis quoque radicibus & plantis, ad recuperandam corporis ſanitatẽ conducibilibus, divinitatis characterem tribuerunt, ac proinde lepidè illuduntur à (c) *Juvenali:*

O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur
In hortis Numina.

Habitus hujus DEAE, ut idem refert (d) *Pauſanias*, velatus erat, ut ſola facies & imi tantùm pedes conſpicerentur, caeteris *veſte Babylonia* contectis.

§. xCI.

(c) Satyr. XV.
(d) Corinthiacor. Cap. XI.

§. XCI. Caeterum magna religione cultus eidem tribuebatur per univerſam *Graeciam* : *Sicyonii* inprimis & omnes propemodum *Peloponneſi* incolae tanta illam veneratione proſequebantur, ut nemini, niſi qui peculiarem valetudinis curam gereret, ſtatuam ejus intueri permiſſum eſſet; Unde mulieres *Graecae* quotannis capillos ſibi reſecari patiebantur, quos huic DEAE ſingulari devotione immolabant, quae proinde, ut idem (e) *Pauſanias* refert, tota ferè capillis matronarum Graecarum cooperta conſpiciebatur, ut reliqua corporis vix diſcernerentur.

§. XCII. *Romani* non minori (f) *Hygiam* vene-

(e) In Atticis & Corinthiacis

(f) Non eſt dubium, quin haec DEA, quam *Romani SALUTEM* vocarunt, eadem ſit, quam *Graeci Hygieiam* vel *Hygiam* vocârunt; Licet intereà inficiandum non ſit, hoc nomine interdum totam Reipublicae ſalutem comprehendi: Hinc nummis quàm plurimis haec verba inſculpta eſſe leguntur: SALUS AETERNA, SALUS GENERIS HUMA-

veneratione proſequuti ſunt: *Junius* enim *Bubulcus*, *Samnitibus* victis, *Romam* triumphator reverſus, eidem templum erexit, ſicuti ex (g) *Tito Livio* patet: *Aedem ſalutis, quam Conſul voverat, Cenſor locaverat, Dictator dedicavit.* Neque minus

NI, SALUS PROVINCIARUM, SALUS REIPUBLICAE &c. ubi manifeſtum eſt, ſolam Sanitatis DEAM intelligi non poſſe. Acriter quoque contradicit, SALUTEM Romanorum non eſſe HYGIAM Graecorum, *Cellarius* Antiquit. Med. Cap. III. §. VIII. p. 21. praetendens, plus *Romanos à Salute* petiiſſe quam *Graecos* ab *Hygia*, i. e. praeter valetudinem firmam, ſimul quoque florentem Reipublicae ſtatum; Imò & SALUTEM PUBLICAM in nummis & marmoribus antiquis latius ſeſe proferre quàm ad ſalvum corporis ſtatum. Verum nihil video impedire, quò minus Valetudinis bonae DEAM SALUTEM Romanorū, eandem eſſe credamus cum *Hygeia Graecorum*, potisſimum cum Inſcript. Reineſ. p. 152. *Aeſculapio Epidaurio* conſtanter adjungatur; Ita enim dicta Inſcriptio ſeſe habet: AESCULAPIO EPIDAURIO D. P. P. ET SALUTI.

(g) Decad. 1. Lib. X.

nus clarè id elucet ex nummis quibuſdam antiquis, quorum unus ad *familiam Juniam* refertur, & uno ſui latere exhibet caput DEAE, quam *Hygiam* eſſe ſubſcriptũ vocabulum *SALUTIS* non ſinit nos dubitare. Alter verò ad *familiam Aciliam* pertinet, unoque ſui latere pariter faciem DEAE cum ſubſcripto vocabulo *SALUTIS* exhibet, in adverſo autem conſpicitur mulier, brachio ſiniſtro exiguae columnae innixa, dextra verò (h) ſerpentem tenens,

(h) In aliis nummis eadem *Hygeia* conſpicitur tanquam mulier, veſte babylonica induta, nonnunquam ſellae inſidens, nonnunquam ſtans, & ſerpenti vel altari circumvoluta, vel, quam ipſamet manibus ſuis tenet, cibum porrigens. Hoc interim ſerpentis ſymbolum *Hygeiae* cum *Aeſculapio* commune eſt, & ſequentes ejus rei rationes adferuntur: Vel, quod crediderint *Romani, Aeſculapium Epidaurium* ſub forma ſerpentis, *Romam* translatum eſſe; Vel (quae ratio tamen magis hieroglyphica eſt) quod ſerpens quotannis antiquam ſuam pellem exuat novamque induat,

nens, in peripheria haec ſcripta legun-
T tur

ſicq; ad priſtinam veluti juventam revertatur. Quod verò plerumque altari circumvoluta depingatur, deſignat, ſanitatem eſſe bonum inaeſtimabile & tanquam donum DEOrum aeſtimandum. Aſt hae rationes tanquam ex trivio deſumtae parùm ſatisfacere videntur Auctori diſſertationis anteà citatae p. 20. & 21. Proindeque ſibi perſuadet, majus ſub hac figura ſerpentis latere myſterium, quàm vel Graecis vel Romanis unquam in mentem venire potuerit, firmiter credens, gentiles aliquid inaudiviſſe de ſerpente aeneo, quem ad expreſſum DEI mandatum *Moyſes* excitaverat in deſerto, ut, qui commorſus eſſet ſerpentibus igneis,quos puniendi populi Iſraëlitici cauſa DEUS miſerat, iſtum ſerpentem aeneum intueretur, ſicque à laeſione ſua liberaretur: Ita enim Num. Cap. XXI. à v. 6. ad 9. legitur: Fac ſerpentem aeneum, & pone eum pro ſigno; Qui percuſſus adſpexerit eum, vivet. Fecit ergò *Moyſes* ſerpentem aeneum & poſuit eum pro ſigno &c. Lubens tamen fatetur Auctor, *Triſtanum* aeque ac *Patinum* jam diu ante

tur verba: MU. ACILIUS IIIvir (i) Vaetu. i. e. Mutius Acilius TriumVIR Valetudini.

§. XCIII.

ipſum in haſce cogitationes deſcendiſſe. Video etiam, *Cellarium* Antiq. Med. cap. II. §. VII. eodem collineare, dum inquit: *Ut alii plerique gentilium ritus ab Judaeorum religione originem aut occaſionem habuere; Ita non erraverit forſan, qui ab aeneo ſerpente, ſalutis cauſa in ſolitudine erecto, manaſſe ad gentes crediderit, unde ſerpentem Aeſculapio ſuo adfingerent.* Interea tantopere mirandum non eſt, Graecos aeqve ac Romanos ſub ſerpentis forma coluiſſe *Aeſculapium*, cùm ipſe populus Iſräeliticus, cui tamen majeſtatem & gloriam ſuam DEUS vividius atque clarius, quàm ulli alii populo, manifeſtaverat, ſerpentem iſtum aeneum poſt fata *Moyſis* aliorumq; fidelium DEI Servorum cultu idololatrico proſecutus ſit, ut propterea *Ezechias* Zelo divino indutus, & impietatem iſtam populi Judaici refraenaturus, ſerpentem confregerit: Ita enim 2. Reg. 18. v. 4. legitur: *Confregit Ezechias ſive Jehiskias ſerpentem aeneum, quem fecerat* Moyſes; *Siquidem usq; ad illud tempus filii* Iſraël *adolebant ei incenſum.*

(i) Patinus praetendit, pro *VALETUDINI*

§. XCIII. Donum, quod in ſacrificiis huic DEAE offerebatur, erat plerumque bos vel vacca, ſicuti ex fragmentis quarundam antiquarum Inſcriptionum Gruterianarum patet:

SALUTI PUBLIC.
VACCAM.

Vel. SALUTI PUBLICAE
VACCAS II.

legendum eſſe *Valetudinarius*, reſtringendo hanc vocem ad deſignandum certum genus Magiſtratus, Noſocomiis publicis praefectum, quod hominum peregrinorum, luis contagioſae ſuſpectorum curam gereret, eosq; prius in Noſodochia publica relegaret, quàm in urbem ipſam admitterentur vel reciperentur: Hac inprimis ratione ſuffultus, qvod vix videatur credibile, in urbe populoſisſima & ſecundum *Galeni* teſtimonium peſtilentiae maximè obnoxia hanc vigilem pro ſalute populi Romani curam fuiſſe neglectam, cùm alias Roma, orbis totius caput, fuerit exemplar Rerumpublicarum, providè ac prudenter gubernandarum. Hanc tamen *Patini* conjecturam prolixè vide-

Hûc pertinet nummus Commodi, ſequentia verba peripheriae inſcripta habens: VOTA SOL. PRO SAL. P. R. COS VII. P. P. Dira enim peſtilentia ſub principatu *Commodi* Italiam adfligente varia ſacrificia SALUTI DEAE exhibita ſunt, quorum ſpecimen exhibet nummus *Commodi*.

§. XCIV. Altera filiarum *Aeſculapii Panacea* vocatur, cujus (k) *Pauſanias* pariter meminit, & in *Oropiorum* ara eſſe imagines *Veneris* & *Panaceae*, inſuper *Jaſûs* ac *Hygeae* & *Minervae Poeoniae*. Eſſe autem filiam *Aeſculapii* ex ſcholiis in *Ariſtophan. Pluton.* Actu II. patet, ubi haec leguntur verba: *Multa proles Aeſculapii, Podalirius, Machaon, Jaſo, Panacea, Hygea.*

§. XCV. Tertia *Aeſculapii* filia *Jăſo* dicebatur ab ἰᾶσθαι, à ſanando, quia, ſicuti idem Scholiaſtes addit, nomina filiarum *Aeſculapii* formata ſunt à *ſanando*, & medendo omnibus, & praebendo,

mus refutatam à *Monſieur de Boze* in Diſſert. antea citata p. 13. & 14.

(k) Atticor. Cap. *XXXIII*.

hendo, qvae ſunt bonae valetudinis. His majorem lucem foeneratur nummus, exhibens una ex parte faciem mulieris non invenuſtae, ex altera verò altare, ex quo ſerpens prodire conſpicitur, cui ſubſcriptum eſt nomen ΙΑΣΩ, cujus pariter Auctor diſſertationis, cujus jam aliquoties mentionem injecimus, meminit, & certiſſimum eſt, deſignari hoc vocabulo SALUTIS DEAM.

§. XCVI. Qvartae & quintae filiarum *Aeſculapii, Aceſonis* & *Aegles* obſcurior eſt ratio; Neqve enim niſi nominetenus innotuêre. *Aegles* tamen mentionem facit (l) *Plinius: Tales ſunt,* inquit, *cum Aeſculapio filiae, Hygia, Aegle, Panacea, Jaſo.* Paulò certior *Romes* ratio eſſe videtur, adeò ut nonnulli *Romam*, totius Italiae caput, ab ea denominatam eſſe putent, ſicuti ex verſibus, quos *Salmaſius* in *Solinum* profert, haud obſcurè colligere licet:

Sed

(l) Hiſtor. Natural. Lib. *XXXV.* Cap. *XI.* de avium cantu compeſcendo & mirabilibus pretiis picturarum.

Sed Diva flava & candida
Roma, Aeſculapii filia,
Novum nomen Latio facit.
Hinc conditricis nomine
Ab ipſa omnes ROMAM *vocant.*

§. XCVII. Ita ergò totam *Aeſculapii* ſtirpem, non ſolummodò maſculos ſed & foemellas, medicinae ſeſe adplicuiſſe conſtat. Prius autem, quàm mulierum harum Medicarum hiſtoriam derelinquam, *Minervae* ſeu *Palladis*, & nonnullarum aliarum, quae artem ſalutarem exercuiſſe dicuntur, mentio injicienda eſt. Et *Minervam* quidem, quae Sapientiae DEA antiquitus habebatur, in praeſidio quoque Medicinae fuiſſe, à *Graecis* aeque ac *Romanis* creditum eſt. Idque praeter cognomina *Minervae Hygiae*, i. e. ſoſpitae, & *Poeoniae*, quae ipſi tribuit (m) *Pau-*

(m) *Hygiam* cognominatam fuiſſe *Minervam*, diſerte adſerit *Pauſanias* Atticor. Cap. XXIII. ſequentibus verbis: *Proxime ad ſtatuam* Diitrephis *poſita ſunt DEOrum ſigna*, Hygiae, *quam filiam* Aeſculapii *fuiſſe dicunt: Et* Minervae, *cui itidem* Hygiae (i. e. ſoſpitae) *cognomentum,*

Pauſanias, manifeſtè probant antiquae quaedam Inſcriptiones, qualis eſt illa *Placentina* apud (n) *Gruterum* ſequentis tenoris:

(o) MINERVAE MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA SAMMONIA
VERCELLENSIS V. S. L. M.

Item Lapis, quem *Aldus Manutius* P. F. invenit, quemque ita exſcriptum exhibet:

MINERVAE
MEMORI
COELIA JULIANA
INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

(p) *Plini-*

Nomen verò Poeoniae *eidem tribuit* Pauſanias Atticor Cap. II. & XXXIV.

(n) Corp. Inſcription. p. 1067.

(o) Nemo miretur, nos Inſcriptiones hîc & alibi adferre tanquam certa narrationum teſtimonia: Habent enim, quod utique contra naſutos quosdam antiquorum monimentorũ contemto-

(p) *Plinius* inventionem *Parthenii*, herbae virtutum ſingularium contra lapſus & praecipitia *Minervae* tribuit, quae *Pericli* ſomnio monſtravit, quum vernula ipſi carisſimus ex faſtigio templi cecidiſſet, indeque ſanitatem ſuam recupe-

res probè obſervandum eſt, re ipſe vim probationis, Idque vel eò minus dubium nobis eſt, quò magis ipſos quoque veteres ſola Inſcriptionum auctoritate dicta ſua comprobâſſe novimus: Cujus rei exempla aliquot legi poſſunt apud *Sponium* Praefat. in Miſcell. Eruditae Antiquitatis.

(p) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. IV. ubi ſic inquit: *Eſt Chironis inventum Ampelos, quae vocatur Chironia, de qua diximus inter vites; ſicuti de* Herba *cujus inventio adſignatur Minervae.* Qualis verò illa herba fuerit, idem Plinius nobis explicat *Lib. XXII. Cap. XVII.* Vernula charus Pericli, Athenienſium Principi, cùm is in arce templum aedificaret, repſiſſetque ſupra altitudinem faſtigii, & inde cecidiſſet, hac hærba dicitur ſanatus, monſtrata Pericli ſomnio a Minerva: Quare Parthenium vocari coepta eſt, adſignaturque ei DEAE.

ſuperaſſet. Culta fuit variis in locis Graeciae; *Athenis* enim, teſte *Plinio*, ſtatua ejusdem XXVI. cubitornm conſpiciebatur, aliaque ex (q) ebore itidem eximiae pulchritudinis, *Phidiae* opera producta. Aedes vero ejusdem in (r) *Elide* fuit, quae vel eam ob rationem commemoratione digna eſt, quod frater *Phidiae, Panneus* tectorium eidem induxerit lacte & croco ſubactum, quod ſi ſaliva pollice tereretur, odorem croci ſaporemque reddere credebatur.

(q) Teſte iterum *Plinio* Lib. XXXIV. Cap. VIII. *Phidias* [inquit] *praeter Jovem Olympium, quem nemo aemulatur, fecit & ex ebore Minervam Athenis, quae eſt in Parthenone adſtans. Ex aere verò praeter Amazonem ſupra dictam Minervam tàm eximiae pulchritudinis, ut â forma cognomen acceperit.*

(r) Teſtante rurſus *Plinio* Lib. XXXXI. Cap. XXIV. *In Elide* (inquit) *aedes eſt Minervae, in qua frater Phidiae Panneus tectorium induxit, lacte & croco ſubactum, ut ferunt; Ideoque ſi teratur in ea hodieq; ſaliva pollice, odorem croci ſaporemque tradere dicitur.*

debatur. Reliquum ejusdem cultum prolixius proſequitur (s) *Pauſanias.*

§. XCVIII. *Cybele*, mater DEUM (uxor enim *Saturni* fingitur) (t) *Diodori* teſtimonio, de morbis puerorum eorumque remediis alios inſtruxiſſe dicitur. *Latona* (u) mater *Apollinis* & *Dianae*, immeritò fortè ad hunc numenem refertur: Licet enim *Apollinis*, cujus in Juramento *Hippocratis* primaria habetur ratio, quique Medicorum filiis medicamenta dare antiquitus creditus fuit, mater fuerit: Nemo tamen hinc conficiet, eam medicinae ipſam peritam fuiſſe; Quam enim artemiſiae herbae inventionem nonnulli eidem tribuunt, ea rectius ad *Artemiſiam*, *Cariae* Reginam refertur, ſicuti ſuo tempore patebit. Caeterùm ſimulacrum ejus, quod *Praxitelis* opus fuit, & templum deſcribit (w) *Pauſanias.*

§. XCIX.

(s) Deſcriptione Graeciae paſſim.
(t) Libr. IV.
(u) Vid. Plin. Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(w) Corinthiacor. Cap. XXXI.

§. XCIX. *Medeam* vero atque *Circen*, ejusdem ſororem, quas tanquam famoſas ſagas, omniumque Magorum Magiſtras atque Patronas vulgo conſiderant, Medicarum numero excludere non licet: Fuit enim Magia earundem, quam exercuerunt, merè naturalis. Sic *Medea* inprimis ad propulſandum varios morbos & conciliandam corpori agilitatem balnea calida, & quidem fortaſſis prima commendavit: Unde ad juventutem & priſtinum veluti vigorem Senes effoetos reducere credebatur, quamvis nonnunquam malè quoque cederet novum hoc remedii genus, id quod damno ſuo expertus eſt *Pelias* Senex, cujus quippe mors brevi inſequuta in cauſa fuit, ut majorem adhuc fabulae fidem adhiberent. Cumque inſuper ſecretam calleret artem tollendi ſenum canitiem, capillosque niveos in colorem nigrum transmutandi, nihil erat, qvod magiae criminis efficacius ipſam convinceret, quia cauſae hujus metamorphoſes tum temporis profundiſſimè ignorabantur, quae hodieque omnibus mu-

lier.

herculis notae ſunt. Non minus quoq; tàm pro ſanitate conſervanda, quam pro amiſſa reſtituenda ſuadebat varia corporis exercitia; Hoc enim artificio homines quam maximè effoeminatos reddi poſſe robuſtos & alacres rectiſſimè ſibi perſuadebat. Et quod ipſius quoque Chirurgiae non fuerit imperita, id potiſſimùm demonſtrat, quod maritum ſuum, *Jaſonem*, vulneribus multis ſaucium, herbarum quarundam auxilio curaverit ac feliciter reſtituerit. Quare verò ab omnibus, qui ejusdem meminerunt, tanqvam veneficii & magiae rea accuſetur, inde potiſſimum eſt, quod Graecos quosdam de hominibus in lupos, aſinos, ſues, leones &c. transmutâſſe dicatur; Qvod, qua ratione intelligendum ſit, ex (x) Plu-

(x) Qua ratione mira haec metamorphoſis ſano ſenſu intelligenda ſit, non ſolum modò evidenter liquet ex Colloqvio inter *Ulyſſem*, *Circen* & *Gryllum*, ſed & manifeſtius adhuc ex ejusdem *Plutarchi* Libris Conjugal. Praeceptor. p. 159. quae verba, ibi Graeca, hîc prolixitatis vitandae gratia, quod ſemel

Plutarcho abundè diſcimus. Fuit *Medea*, ſi conjecturae locus ſit, procul dubio una ex illis, quae & ſua venuſtate & converſandi prudentia Graecos quosdam ita faſcinavit, ut perditisſimus, qvo eam proſeqvebantur, amor eos conditione humana veluti exueret inqve ſues, aſinos &c. transmutaret. §. C.

pro ſemper, quotiescunque *Plutarchum* citabimus, monuiſſe ſufficiat, digna ſunt, qve integra adponantur. *Mulieres* (inquit) *quae amoris poculis & veneficiis viros captant, voluptateque in ſuam poteſtatem redigunt, ſtupidos eos, vaecordes corruptosque deinde vitae ſocios habent. Nam Circae quidem nihil profuerunt ii, quos veneficio mutaverat, neque ullam ad rem iis uſa eſt, cùm in canes & aſinos degeneraſſent: Ulyſſem autem, prudentem virum, prudenterque ſecum verſantem ſupra modum dilexit. Quae verò malunt fatuis imperare viris, quàm obtemperare prudentibus, eorum ſunt ſimiles, qui in via coecos ducere malunt, quàm videntes & itineris peritos ſequi.* Ex quibus ſanè, cujus indolis fuerit ejusdem magia, abundè conſtat. Id quod latius quoque deduximus Diſſertatione Epiſtolica ſuperius citata.

medica Aegyptia, quae *Homeri* teſti-monio plantarum indigenarum periſſima fuit. Idque conjecturam noſtram *Nepenthes Homericum* ipſiſſimum fuiſſe *opium Thebaicum*, haud obſcure confirmat. Caeterum teſte b) *Plinio Helenium* nomen ſuum *Helenae* debet: Ita enim Plinius: *Helenium e lacrymis Helenae dicitur natum, & ideo in Helene inſula laudatiſſimum. ENONE* prioris rivalis, non minus medicinae gnara fuit, ſi vera ſint, quae de ſeipſa gloriatur apud Ovidium:

Ipſe (Apollo) *ratus dignam medicas mihi tradidit artes,*
Admiſitque meas ad ſua dona manus.
Quaecunque herba potens ad opem, radixque medendi
Utilis in toto naſcitur orbe, mea eſt.

Me

gis uxore traditas fuiſſe *Helenae* herbas; Inquit enim: Herbas certè Aegyptius â Regis uxore traditas ſuae *Helenae* plurimas narrat, ac nobile illud *Nepenthes* oblivionem triſtitiae veniamque adferens, & ab *Helena* utique omnibus mortalibus propinandum.

(b) Lib. XXI. Cap. XI.

Me miſeram! Quod amor non eſt medicabilis herbis,
Deſtituor, prudens artis, ab arte mea.

Hac Zelotypia graviter commota & irritata *Enone*, *Paridi*, marito ſuo, in obſidione *Trojana* lethaliter vulnerato ſuccurrere noluit, cùm praeter eam nullus aliorum medicorum vulneribus ejus mederi potuerit. Unde omni auxilio medico deſtitutus Heros fortisſimus occubuit, quam inopinatam mortem tàm graviter tulit *Enone*, ut, qui ordinarius veſanae ac ſtultae zelotypiae fructus eſſe ſolet, ſera poenitentia acta, vitam ſibimetipſi ademerit.

§. CII. Inter mulieres *Graecas*, medicinam profeſſas, non ultimum locum tuetur *AGNODICE*, qvae, poſteaqvam habitu virili induta, demtis capillis, *Hierophilo* in diſciplinam ſeſe tradiderat, artemqve medicam didicerat, poſtmodùm à Medicis in *Areopago* accuſata, & damnationis periculum ſubitura, matronarum tandem adcurſu liberata fuit, qvarum haec ad Judices vox erat: *Vos conjuges non eſtis, quia,*

U quae

Sed Diva flava & candida
Roma, Aeſculapii filia,
Novum nomen Latio facit.
Hinc conditricis nomine
Ab ipſa omnes ROMAM *vocant.*

§. XCVII. Ita ergò totam *Aeſculapii* ſtirpem, non ſolummodò maſculos ſed & foemellas, medicinae ſeſe adplicuiſſe conſtat. Prius autem, quàm mulierum harum Medicarum hiſtoriam derelinquam, *Minervae* ſeu *Palladis*, & nonnullarum aliarum, quae artem ſalutarem exercuiſſe dicuntur, mentio injicienda eſt. Et *Minervam* quidem, quae Sapientiae DEA antiquitus habebatur, in praeſidio quoque Medicinae fuiſſe, à *Graecis* aeque ac *Romanis* creditum eſt. Idque praeter cognomina *Minervae Hygiae*, i. e. ſoſpitae, & *Poeoniae*, quae ipſi tribuit (m) *Pau-*

(m) *Hygiam* cognominatam fuiſſe *Minervam*, diſerte adſerit *Pauſanias* Atticor. Cap. XXIII. ſequentibus verbis: *Proxime ad ſtatuam* Diitrephis *poſita ſunt DEOrum ſigna*, Hygiae, *quam filiam* Aeſculapii *fuiſſe dicunt: Et* Minervae, *cui itidem* Hygiae (i. e. ſoſpitae) *cognomentum,*

Pauſanias, manifeſtè probant antiquae quaedam Inſcriptiones, qualis eſt illa *Placentina* apud (n) *Gruterum* ſequentis tenoris:

(o) MINERVAE MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA SAMMONIA
VERCELLENSIS V.S.L.M.

Item Lapis, quem *Aldus Manutius* P.F. invenit, quemque ita exſcriptum exhibet:

MINERVAE
MEMORI
COELIA JULIANA
INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

(p) *Plini-*

Nomen verò Poeoniae *eidem tribuit* Pauſanias Atticor Cap. II. & XXXIV.

(n) Corp. Inſcription. p. 1067.

(o) Nemo miretur, nos Inſcriptiones hîc & alibi adferre tanquam certa narrationum teſtimonia: Habent enim, quod utique contra naſutos quosdam antiquorum monimentorū contemto-

(p) *Plinius* inventionem *Parthenii*, herbae virtutum ſingularium contra lapſus & praecipitia *Minervae* tribuit, quā *Pericli* ſomnio monſtravit, quum vernula ipſi carisſimus ex faſtigio templi cecidiſſet, indeque ſanitatem ſuam recupe-

res probè obſervandum eſt, reâpſe vim probationis, Idque vel eò minus dubium nobis eſt, quò magis ipſos quoque veteres ſola Inſcriptionum auctoritate dicta ſua comprobâſſe novimus: Cujus rei exempla aliquot legi poſſunt apud *Sponium* Praefat. in Miſcell. Eruditae Antiquitatis.

(p) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. IV. ubi ſic inquit: *Eſt Chironis inventum Ampelos, quae vocatur Chironia, de qua diximus inter vites; ſicuti de* Herba *cujus inventio adſignatur Minervae.* Qualis verò illa herba fuerit, idem Plinius nobis explicat *Lib. XXII. Cap. XVII.* Vernula charus Pericli, Athenienſium Principi, cùm is in arce templum aedificaret, repſiſſetque ſupra altitudinem faſtigii, & inde cecidiſſet, hac hærba dicitur ſanatus, monſtrata Pericli ſomnio a Minerva: Quare Parthenium vocari coepta eſt, adſignaturque ei DEAE.

cuperaſſet. Culta fuit variis in locis Graeciae; *Athenis* enim, teſte *Plinio*, ſtatua ejusdem XXVI. cubitorum conſpiciebatur, aliaque ex (q) ebore itidem eximiae pulchritudinis, *Phidiae* opera producta. Aedes verò ejusdem in (r) *Elide* fuit, quae vel eam ob rationem commemoratione digna eſt, quod frater *Phidiae*, *Panneus* tectorium eidem induxerit lacte & croco ſubactum, quod ſi ſaliva pollice tereretur, odorem croci ſaporemque reddere credebatur.

(q) Teſte iterum *Plinio* Lib. XXXIV. Cap. VIII. *Phidias* [inquit] *praeter Jovem Olympium, quem nemo aemulatur, fecit & ex ebore Minervam Athenis, quae eſt in Parthenone adſtans. Ex aere verò praeter Amazonem ſupra dictam Minervam tàm eximiae pulchritudinis, ut à forma cognomen acceperit.*

(r) Teſtante rurſus *Plinio* Lib. XXXXI. Cap. XXIV. *In Elide* (inquit) *aedes eſt Minervae, in qua frater Phidiae Panneus tectorium induxit, lacte & croco ſubactum, ut ferunt. Ideoque ſi teratur in ea hodieque ſaliva pollice, odorem croci ſaporemque tradere dicitur.*

debatur. Reliquum ejusdem cultum prolixius proſequitur (s) *Pauſanias.*

§. XCVIII. *Cybele*, mater DEUM (uxor enim *Saturni* fingitur) (t) *Diodori* teſtimonio, de morbis puerorum eorumque remediis alios inſtruxiſſe dicitur. *Latona* (u) mater *Apollinis* & *Dianae*, immeritò fortè ad hunc numenem refertur: Licet enim *Apollinis*, cujus in Juramento *Hippocratis* primaria habetur ratio, quique Medicorum filiis medicamenta dare antiquitus creditus fuit, mater fuerit: Nemo tamen hinc conficiet, eam medicinae ipſam peritam fuiſſe; Quam enim artemiſiae herbae inventionem nonnulli eidem tribuunt, ea rectius ad *Artemiſiam*, *Cariae* Reginam refertur, ſicuti ſuo tempore patebit. Caeterum ſimulacrum ejus, quod *Praxitelis* opus fuit, & templum deſcribit (w) *Pauſanias.*

§. XCIX.

(s) Deſcriptione Graeciae paſſim.
(t) Libr. IV.
(u) Vid. Plin. Lib. XXXIV. Cap. VIII.
(w) Corinthiacor. Cap. XXXI.

§. XCIX. *Medeam* vero atque *Circen*, ejusdem ſororem, quas tanquam famoſas ſagas, omniumque Magorum Magiſtras atque Patronas vulgo conſiderant, Medicarum numero excludere non licet: Fuit enim Magia earundem, quam exercuerunt, merè naturalis. Sic *Medea* inprimis ad propulſandum varios morbos & conciliandam corpori agilitatem balnea calida, & quidem fortasſis prima commendavit: Unde ad juventutem & priſtinum veluti vigorem Senes effoetos reducere credebatur, quamvis nonnunquam malè quoque cederet novum hoc remedii genus, id quod damno ſuo expertus eſt *Pelias* Senex, cujus quippe mors brevi inſequuta in cauſa fuit, ut majorem adhuc fabulae fidem adhiberent. Cumque inſuper ſecretam calleret artem tollendi ſenum canitiem, capillosque niveos in colorem nigrum transmutandi, nihil erat, quod magiae criminis efficacius ipſam convinceret, quia cauſae hujus metamorphoſes tum temporis profundiſſimè ignorabantur, quae hodieque omnibus mulier-

lierculis notae ſunt. Non minus quoq; tàm pro ſanitate conſervanda, quam pro amiſſa reſtituenda ſuadebat varia corporis exercitia; Hoc enim artificio homines quam maximè effoeminatos reddi poſſe robuſtos & alacres rectisſimè ſibi perſuadebat. Et quod ipſius quoque Chirurgiae non fuerit imperita, id potiſſimùm demonſtrat, quod maritum ſuum, *Jaſonem*, vulneribus multis ſaucium, herbarum quarundam auxilio curaverit ac feliciter reſtituerit. Quare verò ab omnibus, qui ejusdem meminerunt, tanqvam veneficii & magiae rea accuſetur, inde potiſſimum eſt, quod Graecos quosdam de hominibus in lupos, aſinos, ſues, leones &c. transmutâſſe dicatur; Qvod, qua ratione intelligendum ſit, ex (x) Plu-

(x) Qua ratione mira haec metamorphoſis ſano ſenſu intelligenda ſit, non ſolum modò evidenter liquet ex Colloqvio inter *Ulyſſem*, *Circen* & *Gryllum*, ſed & manifeſtius adhuc ex ejusdem *Plutarchi* Libris Conjugal. Praeceptor. p. 159. quae verba, ibi Graeca, hîc prolixitatis vitandae gratia, quod ſemel

Plutarcho abundè diſcimus. Fuit *Medea*, ſi conjecturae locus ſit, procul dubio una ex illis, quae & ſua venuſtate & converſandi prudentia Graecos quosdam ita faſcinavit, ut perditisſimus, qvo eam proſeqvebantur, amor eos conditione humana veluti exueret inqve ſues, aſinos &c. transmutaret.

§. C.

pro ſemper, quotiescunque *Plutarchum* citabimus, monuiſſe ſufficiat, digna ſunt, qve integra adponantur. *Mulieres* (inquit) *quae amoris poculis & veneficiis viros captant, voluptateque in ſuam poteſtatem redigunt, ſtupidos eos, vaecordes corruptosque deinde vitae ſocios habent. Nam Circae quidem nihil profuerunt ii, quos veneficio mutaverat, neque ullam ad rem iis uſa eſt, cùm in canes & aſinos degeneraſſent: Ulyſſem autem, prudentem virum, prudenterque ſecum verſantem ſupra modum dilexit. Quae verò malunt fatuis imperare viris, quàm obtemperare prudentibus, eorum ſunt ſimiles, qui in via coecos ducere malunt, quàm videntes & itineris peritos ſequi.* Ex quibus ſanè, cujus indolis fuerit ejusdem magia, abundè conſtat. Id quod latius quoque deduximus Diſſertatione Epiſtolica ſuperius citata.

§. C. Similiter *Circen*, qvam ejusdem magiae criminis ream eſſe credebant, facile ab eodem abſolvent, qvotqvot conſideraverint, eam in explorandis herbarum quarundam, contra venena vim ſuam exerentium, virtutibus occupatam fuiſſe; Qvare & *Circeae* nomen ſuum dediſſe pleriq; autumant. Si verò nulla alia veneficii notam inurendi ratio fuit, celeberrimi quivis Botanici hodieqve in maximo verſarentur periculo, ne iisdem praeter meritum fatis exponerentur. Nihilominus ſagae eam antiquitus tanquam Patronam ſuam veneratae divinisqve honoribus proſecutae ſunt, ſicuti ex (y) *Cicerone* diſcimus, pluraqve ejus generis alia ſuppeditat *Bocharti Phaleg*. Utriusqve tàm *Medeae* quàm *Circes* ſoror, & *Aeetae*, Regis in *Colchide* filia, *ANGITIA* Medicinae pariter gnara fuit, & faſcinandi ſerpentes artificium calluit, fuitqve ſecundum nonnullorum opinionem prima, quae herbas venenoſas detexit. Vocata fuit aliâs etiam ANGERO-

(y) Libr. III. de Nat. DEOrum.

GERONA, quod nomen inde dicitur adquiſiviſſe, quod *Romani* Angina graviſſimè adfecti liberati fuerint, poſteaquam huic DEAE vota fecerant. Caeterùm ex (z) *Plinio* notum eſt, Divam *Angeronam*, cui ad diem XII. Calendar. Jan: ſacrificabatur, ore obligato obſignatoque ſimulacrum habuiſſe: Unde fortè intelligi quadantenus poteſt, quare medicinam nonnulli *artem mutam* dixerint.

§. CI. Religio foret, HELENAM, formoſisſimam totius Graeciae mulierem, & ENONEM ejusdem rivalem ſilentio hic praeterire. *Helenam* inprimis claram reddidit *Nepenthes*, quod medicamentum fuit opio vel Maslach, prout plurimis perſuaſum eſt, ſimile, virtutum usque adeò mirabilium, ut aſſumtum omnes non tantum dolores promptisſimè fugaret, ſed & triſtitiam omnemque animi aegritudinem miraculo citius pelleret. Acceperat autem hoc pharmacum à (a) *Polydamna*, me-

(z) Hiſt. Nat. Lib. III. Cap. V.

(a) *Plinius Lib. XXV. Cap. II.* refert, à Re-

medica Aegyptia, quae *Homeri* teſti-monio plantarum indigenarum peritiſſima fuit. Idque conjecturam noſtram *Nepenthes Homericum* ipſiſſimum fuiſſe *opium Thebaicum*, haud obſcure confirmat. Caeterum teſte (b) *Plinio Helenium* nomen ſuum *Helenae* debet: Ita enim Plinius: *Helenium e lacrymis Helenae dicitur natum, & ideo in Helene inſula laudatiſſimum.* ENONE prioris rivalis, non minus medicinae gnara fuit, ſi vera ſint, quae de ſeipſa gloriatur apud Ovidium:

Ipſe (Apollo) *ratus dignam medicas*
mihi tradidit artes,
Admiſitque meas ad ſua dona manus.
Quaecunque herba potens ad opem, radixque medendi
Utilis in toto naſcitur orbe, mea eſt.

Me

---

gis uxore traditas fuiſſe *Helenae* herbas; Inquit enim: Herbas certè Aegyptias â Regis uxore traditas ſuae *Helenae* plurimas narrat, ac nobile illud *Nepenthes* oblivionem triſtitiae veniamque adferens, & ab *Helena* utique omnibus mortalibus propinandum.

(b) Lib. XXI. Cap. XI.

Me miſeram! Quod amor non eſt medicabilis herbis,
Deſtituor, prudens artis, ab arte mea.

Hac Zelotypia graviter commota & irritata *Enone*, *Paridi*, marito ſuo, in obſidione *Trojana* lethaliter vulnerato ſuccurrere noluit, cùm praeter eam nullus aliorum medicorum vulneribus ejus mederi potuerit. Unde omni auxilio medico deſtitutus Heros fortisſimus occubuit, quam inopinatam mortem tàm graviter tulit *Enone*, ut, qui ordinarius veſanae ac ſtultae zelotypiae fructus eſſe ſolet, ſera poenitentia acta, vitam ſibimetipſi ademerit.

§. CII. Inter mulieres *Graecas*, medicinam profeſſas, non ultimum locum tuetur *AGNODICE*, qvae, poſteaqvam habitu virili induta, demtis capillis, *Hierophilo* in diſciplinam ſeſe tradiderat, artemqve medicam didicerat, poſtmodùm à Medicis in *Areopago* accuſata, & damnationis periculum ſubitura, matronarum tandem adcurſu liberata fuit, qvarum haec ad Judices vox erat: *Vos conjuges non eſtis, quia,*

U *quae*

quae ſalutem nobis invenit, damnatis. Adfuerat enim laborantibus in partu, quarum intempeſtivus pudor viros medicos arcebat: Quo pudoris affectu hodieqve mulierculas noſtrates laborare videmus, ut mortem ſaepius, quàm medicam vel chirurgicā manum in difficultate partus admittere malint. Interim legem, quam antehâc ſanciverant *Athenienſes*, *ne quae foemina vel ſervus medicinam diſceret*, hoc *Agnodices* caſu permoti mutare coacti ſunt, atqve permittere, ut mulieres qvoq; artem medicam, potiſſimum verò obſtetriciam, addiſcerent, dummodò liberae conditionis eſſent. Unde ſimul incidenter patet, quanta ejusdem artis ea tempeſtate fuerit auctoritas, dignitas atqve praeſtantia, ut ſervi aeqve ac foeminae eadem indigni judicarentur.

§. CIII. Deniqve ſilentio non eſt praetermittenda *Aſpaſia*, qvam inter Mulieres Philoſophas (c) *Aegidius Menagi-*

(c) Hiſtor. Mulier. Philoſophar. ad Annam Fabram Daceriam.

nagius, nos inſuper inter medicas referre non dubitamus. Fuit natione *Mileſia*, *Axiochi* filia, qvae praeter Rhetoricam & Philoſophiam, qvas docuit, pöeſin qvoqve ipſamq; medicinam excoluit, qvamvis notitia ejus Medica ultra affectus mulierum vix ſeſe extendiſſe videatur. Ubi inſuper obſervari meretur, eam *arte legibus prohibita* mulieribus abortum procuraſſe, nonnullas planè ſteriles & ad concipiendum inhabiles reddidiſſe: Quorum tamen vitiorum primum ex eo potiſſimùm capite excuſare non erubeſcebat, quod abſolutè interdum neceſſarium ſit nonnullis foeminis abortum procurare, talibus praecipuè, qvae abſqve manifeſto vitae periculo parere non poſſent. Interim hae ſimilesve circumſtantiae probabilem reddunt conjecturam (d) Clerici, hanc, de qua loquimur, *Aſpaſiam*, fuiſſe *Cyri* Junioris pellicem, quae anteà *Periclis* ſcortum, poſteà uxor fuit. Maximè tamen infauſtum fuit Patriae illud matrimonium,

(d) Hiſtor. Med. Part. II. Lib. III. Cap. XIII.

nium, utpote quod duobus maximis bellis, Samio ac Peloponneſiaco occaſionem praebuit: Quae omnia ſecundum primarias rei circumſtantias apud (e) *Plutarchum* legi poſſunt.

§. CIV.

(e) In Pericle: Meretur integer locus latinè redditus hûc trasferri: At quia ea (inquit *Plutarchus*) quae in *Samios* geſſit *Pericles*, in gratiam feciſſe *ASPASIAE* creditur, non ſit incongruum, hoc maximè loco conſiderare, quae ars & qvae vis in ea tanta fuerit, ut principes viros civitatis ſua habuerit in poteſtate, & Philoſophi praeclaram celebremq; ejus mentionem fecerint. *Mileto* ortam & *Axiochi* filiam fuiſſe, in confeſſo eſt. Ajunt eam veſtigiis inſtitiſſe *Thargeliae* cujusdam, & veteribus mulieribus *Jonicis*, & adrepſiſſe ad amicitias eorum, qui divites valdè eſſent. Quippe *Thargelia*, quae venuſta eſſet facie, cuiqve lepos cum acumine ineſſet, habuit cum plurimis Graecis conſuetudinem: Eosque omnes conciliavit Regi: Et illorum opera ſparſit furtim in urbibus *Medorum* ſectae rudimenta. At *Aſpaſiam*, quod prudens eſſet, & tractandae callens Reipublicae, cultam ajunt à *Pericle*. Et

§. CIV. Atqve haec eſt ſaluberrimae

ipſe etiam frequentavit eam cum familiaribus ſuis, *Socrates:* Atqve ad eam audiendam foeminas ducebant *Socratici:* Licet officinam haberet parum decoram & honeſtam: Nam puellas, quae corpore quaeſtum facerent, alebat. *Aeſchines* refert, *Lyſiclem* pecorum cauponē, qui conſuetudinem poſt obitum *Periclis* cum *Aſpaſia* habuit, ex homine natura inerti & abjecto, principem civitatis evaſiſſe *Athenis.* In *Menexena Platonis*, quanqvam ſit principium jocoſè ſcriptum, in ea tamen dialogo illud verum eſt, famam eſſe, ob dicendi artem *Athenienſium* plurimos *Aſpaſia* uſos eſſe. At *Periclis* in eam amorem laſcivum fuiſſe veroſimile eſt: Siquidem uxorem habebat propinqvam ſuam, quae ante nupta *Hipponico* fuerat, & *Calliam*, divitem illum, ei genuerat. Genuit etiam in *Periclis* matrimonio *Xantippum* & *Paralum.* Quod matrimonium cùm utriqve odioſum eſſet, collocavit eam *Pericles* alteri, non invitam. Inde *Aſpaſiam* uxorem duxit, quam mirè dilexit: Nam ſive exiret ſive rediret è foro, eam oſculo ſemper ſalutabat. In Comoediis *nova Om-*

artis medicae facies à condito mundo ad bellum Trojanum usq;, obſcura profectò (qvod diffitendum non eſt) multisqve fabularum nebulis obvoluta; Quanquam ſub fabuloſis hiſce narrationibus multa vera, licet humana, latere, nemo fortè ſit, qui in dubium vocare audeat. Aſt multò adhuc ſpiſſiores ſunt tenebrae, qvibus tecta fuit ejusdem artis hiſtoria poſt haec tempora; Sicuti ſole meridianô adparebit clarius illis, qui ſequentem Hiſtoriae noſtrae periodum ad magnum usqve *Hippocratem* cum attentione legere atqve relegere haud dedignabuntur.

---

p[illegible]ile & *Dejanira* & *Juno* nominatur. *Cratinus* diſerte pellicem adpellavit his verbis &c. Adeo autem celebrem & nobilem fuiſſe memorant *Aſpaſiam*, ut qui cum Rege *Perſarum* de regno bellum geſſit *Cyrus*, eam, quam ex pellicibus praecipuè adamabat, vocaverit *Aſpaſiam*: Cui fuerit ante *Milto* nomen. Hactenus *Plutarchus*.

✱)o(✱

HISTORIAE MEDICINAE UNIVERSALIS PERIODUS QUARTA

Quâ

Univerſa Medicinae *Graecorum* conditio a *Bello Trojano* ad Magnum usq; *Hippocratem* delineatur.

HISTORIAE MEDICINAE UNIVERSALIS PERIODUS QUARTA

Qua
Univerſa Medicinae *Graecorum* conditio à *Bellô Trojanô ad* Magnum uſque *Hippocratem* delineatur.

§. CIV.

Quae de conditione Artis Medicae tempore *Graecorum praecedente Periodo* à nobis diſputata fuêre, illam quidem ideam facilè cujuſvis candidi Lectoris animo ingenerabunt, obſcura & Mythologorum fabuloſis narratiunculis hîc plena eſſe omnia; Neque tamen exiſtimandum eſt, meliora majorique luce fulgentia eâ, quam nunc ingredimur, periodô ſperanda vel expectanda eſſe, cùm multò adhuc ſpiſſiores ſint tenebrae, quibus ejus-

ejuſdem artis hiſtoria ſepta fuit poſt haec tempora: Unde eâ de re haud immeritò conqueritur *Plinius*, dum inquit: *Sequentia ejus* (medicinae) à Trojanis *temporibus, mirum dictu, in nocte denſiſſima latuere, usque ad bellum Peloponneſiacum: Tunc enim in lucem eam revocavit* Hippocrates. *Accenſo enim* Aſpaſiae *occaſione*, de qua ſub finem *praecedentis Periodi* dictum eſt, *Bello Peloponneſiaco* graviſſimo, omnia velut nocte denſiſſima ita fuêre obtenebrata, ut ne omnia quidem nomina medentium ejus temporis hodiè amplius ſuperſint.

§. CV. Cauſam iſtius obſcuritatis ſi requiramus, nulla occurrit alia, quàm quod *familia Aeſculapiorum* ferè ſola Profeſſionem Medicam ſibi propriam vindicaverit, atque adeo orali traditione à Patre tranſierit in filium & nepotes, atque ita conſequenter. Unde & nomina medicorum & eorum inventa nova perpetuâ veluti oblivione ſepulta manſerunt. Neque enim Medici iſtius temporis ſolliciti erant de cauſis morborum reddendis, aut modo remediorum operandi curioſius requi-

quirendo, ſed ſola empiria contenti in praxin deducebant, quicquid diuturno uſu expertum & comprobatum in certis quibusdam adfectibus deprehenderant. Solum verò mediū qualiacurque iſta inventa ad poſteritatem transmittendi erat, ut morbo liberati in templo *Aeſculapii*, ſcriberent, quicquid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, quemadmodum nonnulla ejus rei exempla ſuperius à nobis allegata ſunt. An verò, quod praetendit (f) *Plinius*, primaria inde remedia exſcripſerit *Hippocrates* & templo cremato pro ſuis venditaverit, id diſquiremus in ſequentibus.

§. CVI. Ut adeò turpiter fallatur (g)

(f) *Sequentia ejus* (*inquit* Plinius *Hiſtor. Natur. Libr. XXIX. Cap. 1.*) *in nocte denſiſſima latuêre uſque ad* Peloponneſiacum bellum: *Tunc eam in lucem revocavit* Hippocrates, *genitus in Inſula* Coo, *inprimis clara ac valida &* Aeſculapio *dicta.* Is cùm fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus DEI, quid auxiliatum eſſet &c.

(g) *Iſidorus Hiſpalenſis*, qui poſt *Aſclapii* fulmine tacti & interfecti tempora medicam artem prorſus prohibitam fuiſſe adſerit, ſicque quingentis propemodum annis latuiſſe, donec in lucem revocaretur ab *Hippocrate*. Praeterquam enim, quod fabuloſum ſit, fulmine coeleſti periiſſe *Aeſculapium*: Ita contra certisſimum eſt, medicinam in *Familia Aeſculapiadea* conſtantisſimè fuiſſe conſervatam. Teſtes ejus rei ſunt Scholae publicae, quas hinc inde erigebant *Aſclepiades* (Ita enim vocabantur, qui ex ſtirpe *Aeſculapii* deſcendebant) in quibus & familiae ſplendorem & artis ſalutaris praecepta quomo-

(g) Orig. Libr. IV. Cap. III. *Medicinae autem auctor ac repertor apud* Graecos *perhibetur* Apollo. *Hanc filius ejus* Aeſculapius *laude vel opere ampliavit. Sed poſtquam fulminis ictu* Aeſculapius *interit, interdicta fertur medendi cura, & ars ſimul cum auctore defecit, latuitque per annos pene quingentos, uſque ad tempus* Artaxerxis, *Perſarum Regis. Tunc eam ad lucem revocavit* Hippocrates, Aeſclepio *Patre genitus, in Inſula* Coo.

modocunque conſervabant. Atque ex hâc Progenie Divum quoque Senem, *Hippocratem*, deſcendiſſe ipſemet fatetur, quando decimum octavum ex familia *Aeſculapii* deſcendentem ſeſe eſſe gloriatur, ſicuti ex Tabula Genealogica operibus Ejus *editionis Lindenianae* adnexâ videre eſt. Hinc enim patet, *Hippocratem*, cujus opera genuina hodieq; omnes Eruditi admirantur, fuiſſe filium *HERACLIDIS*, qui fuit filius alterius *Hippocratis*, qui fuit filius *GNOSIDICI*, qui fuit filius *NEBRI*, qui fuit filius *SOSTRATI III*, qui fuit filius *THEODORI III*, qui fuit filius *THEODORI II*, qui fuit filius *CLEOMYTIDEI II*. qui fuit filius *CHRISAMIS II*, qui fuit filius *SOSTRATI II*. qui fuit filius *THEODORI I*, qui fuit filius *CLEOMYTIDIS I*, qui fuit filius *DARDANI*, qui fuit filius *SOSTRATIS I*, qui fuit filius *HIPPOLOCHI*, qui fuit filius *PODALIRII*, qui fuit filius *AESCULAPII*.

§. CVII. Celebriores inter Scholas iſtas Medicas, quas *Aſclepiades* ſive *Aeſculapiadei* ſtabiliverant, fuerunt *Rhodia*, *Coa* atque *Cnidia*. RHODIA ſicuti

cuti omnium prima inclareſcere cœpit; Ita etiam prima iterum extincta eſt. COA reliquas omnes fama atque celebritate ſuperavit, ipſo quoque (h) *Galeno* ei hanc gloriam non invidente. ET CNIDIA huic proxima non minus uberem celebrium medicorum, pro ratione ſcil. eorum temporum, in quibus vivebant, dedit proventum: Inter quos inprimis *Euryphon* nobis innotuit, qui etiam Auctor *ſententiarum* vel *obſervatio-*

(h) Libr. I. de method. medendi. *Olim quidem* (inquit Galenus) *non parva lis erat eorum, qui in* Co *atque* Cnido *habitabant, utri videlicet inventorum multitudine reliquos ſuperarent. Quippe geminum hoc genus* Aſclepiadarum *adhuc in* Aſia *ſupererat, deficiente nimirum, quod in* Rhodo *viguerat. Certabant autem, cum hic boneſtum illud certamen, quod* Heſiodus *praedicabat, etiam medici, qui* Italiam *incolebant*, Philiſtion, Empedocles, Pauſanias *& horum ſectatores. Erantque tres hae certantium inter ſeſe nobilium Medicorum ſcholae. Plurimos quidem atque optimos diſcipulos* Coae *fortuna contulit: Ab hoc* Cnidiae; *Nec tamen in parvo pretio habenda erat, & quae in* Italia *noſcebatur.*

vationum Cnidianarum habetur, ex quibus patet, medicos *Cnidios* adcuratam qvidem morborum eorundemq; Symptomatum conſignâſſe hiſtoriam, de cauſis verò eventuque eorum ſive proſpero ſive lethali parùm fuiſſe ſollicitos; Imò & Medicamenta *Cnidiorum*, quibus utebantur, admodum quidem ſimplicia, virtutum tamen, ſive à ſe ſive ab aliis anteceſſorum ſuorum exploratarum fuiſſe, uti ſunt ſuccus elaterii, lac, ſerum lactis aliaque ejus generis plura. Itaque palam eſt, medicos *Cnidios* parum ratiocinatos, imò potius in colligendis obſervationibus totos fuiſſe occupatos. Eadem veſtigia preſſit *Schola* Medicorum *Coa*, uti claré teſtantur *Coaca Praeſagia*, quae inter opera *Hippocratis* non infimum occupant locum, & ſecundum plerorumque opinionem nihil ſunt aliud, quàm obſervationes, circa diverſum morborum eventum à *medicis Cois* factae & poſt modum ab *Hippocrate* vel alio quodam antiquo Scriptore in ordinem qualemcunque redactae, in quibus quidem hiſto

hiſtorica plurimorum morbiferorum effectuum & eventuum certitudo occurrit, rationes verò illorum ubique deſiderantur.

§. CVIII. Ex his tamen minimè conſequitur, *Aeſculapiadeos* fuiſſe puros putos empiricos, vel totam eorum medicinam intra ſolos empiriae terminos conſtitiſſe: *Galenus* enim auctor eſt, *Anatomiam* ſolerter ab ipſis excultam fuiſſe, & Patres in *adminiſtrationibus Anatomicis* inſtituiſſe ſuos Infantes, eoſque à prima ſtatim pueritia diſſectionibus brutorum animantium adſueviſſe; Adeò ut orali veluti traditione haec ars à Patre tranſierit in filium, hincque methodum tractandarum *ſectionum Anatomicarum* deſcribere prorſus fuerit ſupervacaneum, cùm aeque impoſſibile tunc temporis in *Familia Aſclepiadea* fuerit, *Anatomiam* dediſcere vel oblivioni tradere, quàm literas Alphabeti, cùm utrumque eôdem tempore addiſcerent. Ad ſummum verò perfectionis faſtigium evectam eſſe *Anatomen* tempore *Aſclepiadarum*, quis praeter *Galenum* adfirmabit? Interea

reà tamen abſqve qvalicunqve ſcientia *Anatomica* nec vulnerum, nec ulcerum, nec fracturarum, nec luxationum &c. chirurgiam tractare poterant, quia praeſupponit notitiam ſitus, diſtributionis & connexionis vaſorum ſangvineorum, ad evitandam graviorem haemorrhagiam, ſitum & articulationem oſſium, tendinum, nervorum ac ligamentorum diverſam communicationem, & quae ſunt alia ejus generis plura, ſine quibus praxis Chirurgica exerceri nequit, cujus tamen peritiſſimos fuiſſe *Aſclepiades*, inter omnes conſtat. Et quare ſcientiam Anatomicam denegemus *Aſclepiadeis*, cùm jam diu ante multi *Aegyptiorum* Reges in eâdem ſtrenuè ſeſe exercuerint, ſicuti jam ſuperius aliquot ejus rei exempla à nobis adducta ſunt.

§. CIX. Praeter *Rhodiam, Coam* atqve *Cnidiam*, famoſas Medicorum ſcholas (i) *Herodotus* quoqve de *Cyrenaica* qvadam loquitur, qvo in loco *Pauſaniae* teſtimonio pariter ſimulacrum & fanum

(i) Hiſtor. Libr. IV.

Aeſculapii fuit, in qvo divinus ipſi cultus praeſtabatur, longè tamen diverſus ab eo, qvi in *Graecia* eidem exhiberi conſueverat. Idem alio in loco *Scholae Crotonianae* mentionem facit, de qua tamen, cujus exiſtimationis vel famae fuerit, nihil certi conſtat. *Crotoniates* autem fuit *Democedes*, celeber medicus, qui circa tempora *Pythagorae* Philoſophi vixit. Hic poſtquam Athenis magnam ſibi famam adqviſiverat, tranſiit in inſulam *Samum*, ubi *Polycratem* inſulae Regem magno morbo liberavit, indeqve duo auri talenta reportavit. Captivus deinde in *Perſiam* deductus, operam ſuam commodavit non ſolummodò Regi *Dario*, qui luxatione alterutrius pedis laborabat, ſed & ejusdem uxori, *Atoſſae*, Perſarum Reginae, quae cancro in loco quodam occulto decumbebat, Medicam, qvantum potuit, opem tulit. Cui utriqve malo cùm ſic ſatis felicem adhibuiſſet medicinam, non ſolummodò ingentibus adfectus eſt honoribus, ſed & muneribus verè regiis donatus in Patriam reverſus eſt.

§. CX.

§. CX. Circa haec propemodum tempora, diſcuſſis paululum fabularum nebulis, medicina à Philoſophis uſurpari coepit, bonâne artis ſaluberrimae fortuna, an potius ſummo ejusdem infortunio factum id fuerit, prudentioribus dijudicandum relinqvo. Multa qvidem ratiocinia *Phyſiologiam* inprimis concernentia, quibus ſtatum humani corporis naturalem una cum functionibus, quas ſecundum naturam exerit, quarumque rationes phyſicas reddere moliebantur, ſic ſatis diſtinctè explicant, in artem introducta eſſe à Philoſopho-medicis, non diffiteor: Sed in ſolis hiſce ſpeculationibus plerosqve ſubſtitiſſe, quis eſt, qvi negare audeat? Atqve adeò tales ſpeculatores arti plus damnì quàm emolumenti attulerunt. Interim ne ea, quam meditamur, medicinae hiſtoria manca relinqvatur ac mutila, praecipuorum *Philoſophorum*, qvi medicinae ſeſe immiſcuerunt, Syſtemata paulò curatius evolvemus, viſuri, ad quem usq; perfectionis gradum eandem evexerint.

§. CXI. Primus itaque in ſcenam hanc prodeat *Thales* (k) *Mi*leſius, qui lucis huj⁹ uſura frui coepit (l) anno primo triceſimae qvintae Olympiadis, prout tradit *Apollodorus* in Chronicis (m) patre

(k) A *Mileto* dictus; Unde diſtinguendus à *Cretenſi*, quem *Suidas* ex *Elyro*, *Cretae* urbe oriundum eſſe dicit. Quamvis enim *Mileſius* maximam vitae ſuae partem tranſegerit in *Aegypto*, ibidemque philoſophiae invigilaverit eandemque docuerit; Attamen ſenex *Miletum* ſeſe contulit: Unde & ipſum *Solonem* in epiſtola ad ipſum data hortatur, ut, ſi *Athenis* excedat, *Miletum* concedat, utpote ubi omnium commodisſimè habitare poſſet. Quod ſi verò *Prienam* proficiſci maluerit, promittit, ſe ad ipſum advolaturum; Unde, quanta inter utrumque conjunctio & amicisſima necesſitudo intercesſerit, liquidò adparet.

(l) Clericus Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. cap. IV. nativitatem *Thaletis* ad quadrageſimam Olympiadem extendit, quod eſt circa annum mundi ter milleſimum trecenteſimum trigeſimum.

(m) Vid. Diogen. Laërt. Libr. I. Segment. 22.

patre ſatus *Examio* & matre *Cleobulina* Phoeniciis. Philoſophiae addiſcendae cauſa diu comoratus in *Aegypto*, ibidemq; (n) *Sacerdotibus Aegyptiorum* tanquam informatoribus uſus eſt; Unde pleriqve unà cum Philoſophia ipſam medicinam eundem excoluiſſe non inepté concludunt: Hi enim tanquam Naturae Myſtae aegrotantium quoqve curationi praeerant, ſicuti ſuperius jam animadverſum eſt. Tandem (o) Senex *Miletum* reverſus ibidemque in (p) civitatem *Mileſiorum* adſcriptus eſt. Praecipuum, cui ſedulam navavit operam, ſtudium fuit *Phyſica*, in qua haec fuere placita ejus: De principiis & elementis aliter ſentiebat, quàm omnis reliqua Philoſophorum turba; *Elementum*

 enim

(n) Ipſemet hoc *Thales* ingenuè fatetur in epiſtola ad *Pherecydem*, quam *Diogenes Laertius* deſcriptioni vitae ejus Lib. I. Segm. 43. ſubjungit, quod nimirum *Aegyptum* penetraverit, ſacerdotibusque & Aſtronomis congreſſus fuerit.

(o) Vid. Plut. de pl. philoſ. Lib. 1.

(p) Vid. Diog. Laert. Lib. 1. Segm. 22. & 23.

enim à *principio*, & *hoc* viciſſim ab illo omnes ferè Philoſophi ſoleriter diſtinguunt; *Thales* autem unum idemque habuit utrumque; Unde etiam falſitatis accuſata ejusdem ſententia à (q) *Plutarcho*. (r) Principium omnium rerum dixit eſſe aquam, tanquam in quam omnia ultimò reſolvantur; Cui etiam ſententiae jam olim acceſſit *Homerus*, dum aquam agnovit primordium omnium rerum eſſe:

Oceanus cunctis praebet primordia rebus.

Noſtris verò temporibus operosè eandem in lucem revocavit (s) *Helmontius*, plu-

(q) L. all. Lib. I. Cap. 2.

(r) L. all. Cap. III. *Galenus* tamen negat, ſententiam hanc *Thaletis* de aqua, tanquam primo omnium rerum principio ἐκ συγγράμματος ἀυτȣ̃ oſtendi poſſe.

(s) Statuit enim, aquam eſſe primaevam omnium compoſitorum materiam, quae divini ſpiritus operatione in illius ſuperficie incubantis ita eſſet impraegnata, ut omnia corpora, quae mixta hucuſque credita ſunt, hujus ſolius effectus ſint, inque eandem ultimò quoque reſolvantur: Quam ſuam hypo-

plurimoſque invenit Sectatores (t)
X 4 Va-

theſin confirmare adnititur ſequenti experimento : Poſuit nempè in vaſe terreo 200. ℔ terrae in fornace figulino probè calefactae, quam poſteà madefecit aqua deſtillata, vel, quae huic aequipollet, pluviali, illique implantavit truncum ſalicis 5. ℔ ponderantem ; Et elapſo tandem quinquennio arbor 169. ℔. cum tribus circiter unciis pendens, non computato foliorum quatuor autumnis deciduorum pondere, inde prognata eſt. Vas autem terreum, ſola aqua pluviali vel deſtillata ſemper irrigatum fuit, & lamina ferrea ſtanni obducta, ne pulvis circumvolitans terrae commiſceretur, multiſque pervia foraminibus vaſis labrum tegebat. Tandem exſiccata iterùm terra vaſis, ad duas circiter uncias eandem imminutam reperit : Unde concludit, ex ſola aqua ſurrexiſſe ligna, cortices atque radices, imò in eandem plurima quoque mixta (certè non omnia) arte pyrotechnica denuò reſolvi. Non eſt autem hîc tempus hypotheſin iſtam *Helmontianam* examuſſim examinandi : Alias dici poſſet, maximam illam corporum ſublunarium (ut de coe-

Vacuum eſſe, ſicuti generatim omnes à *Thalete* ad *Platonem* uſque Philoſophi, naturam perſcrutantes, negarunt: Ita ipſe quoque conſtanter negavit ac pernegavit; In quo refutando in hunc uſque diem *Carteſiani* ſummoperè occupati ſunt, philoſophia experimentalium, quae praecedenti ſeculo caput erigere coepit, multa non infoecunda argumenta ipſis ſubminiſtrante. De natura, ſicuti perhibet (u) *Diogenes Laertius*, primus dicitur diſſeruiſſe; Quid verò per eandem intellexerit, exponit nobis (w) *Plutarchus*; Unde patet, ipſum naturam dixiſſe Animam, corporis expertem, quae ab ſeipſa moveatur, quaeque praetereà actum naturalem corporis ad vivendum apti & in

leſtibus nihil dicam) varietatem ex uno elemento deduci vix poſſe, imò particularem illam experientiam vix ſufficere, ut inde tutò ad aliorum corporum naturalium ſive productionem ſive reſolutionem concludere liceat.

(t) Plut. de pl. phil. Lib. I. Cap. XVIII.

(u) De vitis philoſoph. Lib. I. Segm. 24.

(w) l. all. Cap. II. & III.

inſtrumentis ſeu organis ornati adminiſtret. Quae *Thaletis* hypotheſis ritè explicata hodiè ſolemnisſime videtur revocata, dum *Anima* eaque eminenter *Rationalis*, pasſim ipſa NATURA ſalutatur, à qua praeter ratiocinativos, omnes quoque actus vitales dependeant.

§. CXII. In ipſis quoque naturae phaenomenis explicandis non uſque adeò fuit infelix. (x) Mundum unicum tantum eſſe judicavit, cùm contra *Democritus* & *Epicurus* infinitos in infinito ſtatuerent, miro rationis extra ſphaeram ſuam evagantis teſtimonio, quippe quae de infinito nullum habet conceptum. (xx) Diviſionem corporum motui obnoxiorum in infinitum procedere negavit *Thales* ejuſque Sectatores, ſed tandem in atomis, quae corpuſcula ſint individua, ſubſiſtere. Alluviones *Nili* anniverſarias deduxit ab Eteſiis, qui venti cùm *Aegypto* adverſi ſpirarent: Hinc flatu aquas

(x) Plut. de placit. phil. Lib. II. Cap. I.
(xx) Id. Lib. I. Cap. XVI. & Lib. IV. Cap. I.

Nili attollerent. (y) Solem deficere primus docuit; In ſpeculo enim manifeſtè cerni, diſcum Lunae ſubjici Soli. Similiter agnovit, (z) Lunam illuſtrari à Sole, cùm aliâs per ſe ſit corpus opacum atque tenebricoſum. Eadem ratione ſtatuit de (a) terra, eam eſſe unicam in medio poſitam & centrum univerſi, figuramque habere globoſam, motum verò ejusdem procedere ab aqua. De ſtupenda ſiderum in firmamento haerentium magnitudine conceptum habuit philoſopho non indignum: (b) Lunarem enim orbem ſolis magnitudini comparatum ſeptingen-

[y] Id. Lib. II. Cap. XXIV. cui aſtipulatur *Cicero* Lib. I. de divin. Idem [*Thales*] primus defectionem ſolis, quae *Aſtiage* regnante facta eſt, praedixiſſe fertur. Et *Plinius* hiſt. nat. Lib. I. cap. XII. Apud *Graecos* autem inveſtigavit primus omniū *Thales Mileſius* Olympiad. 48. ann. 4. praedicto ſolis defectu, qui ſub *Aſtiage* Rege factus eſt.

(z) Plut. Lib. II. Cap. XXVIII.

(a) Id. Lib. III. Cap. IX. X. & XI. & XV.

(b) Vid. Diog. Laert. in Vit. Thalet. Lib. I. Segm. 24.

genteſimam & viceſimam illius partem eſſe primus adſeruit. (c) Stellas terreſtres quidem eſſe cenſuit, ſed tamen ignitas, quod propemodum idem eſt, ac ſi *ſenſu Carteſiano* quis diceret, ſtellas praecipuè fixas eſſe copioſam collectionem materiae primi elementi. Ex quibus omnibus admodùm perſpicuum redditur, Aſtronomiae, non imperitum fuiſſe *Thaletem*; Quod etiam non obſcurè innuit epigramma ſepulchro ejus inſcriptum:

Exiguus valde hic tumulus eſt, verum aſtra Thaletis

Principis Aſtronomi, gloria ſumma tenet.

Imò & Aſtrologiam judiciariam calluit, quia felix admodùm fuit in praedicendis aëris tempeſtatibus; Cujus rei inſigne edidit (d) ſpecimen, cùm praecognita futura olearũ ubertate conduxit olearia eoque medio immenſas corraſit divitias.

§. CXIII.

(c) Vid. Plut. de pl. philoſ. Lib. II. Cap. XIII.

(d) Cic. Lib. I. de divinat. & Ariſt. Lib. I. Polit. Cap. VII.

(e) Plut. Lib. IV. Cap. II. & III.

§. CXIII. Animae (e) immortalitatem rectiſſimè adſtruxit, an primus, meritò dubito; Quia jamdudum *Aegyptiorum* Sacerdotibus innotuerat, animas aeternum eſſe duraturas, à quibus proculdubio hauſit, quicquid de animae immortalitate ſcivit. De DEO ſenſit, ſicuti homo gentilis radiis divini ſpiritus non illuſtratus ſentire poteſt. (f) Mentem enim ſeu animam, qvam aliâs Naturam dixerat, DEUM eſſe ſtatuit, ſicque DEUM & naturam turpiter invicem confudit, quod vitium non ipſi tantùm, ſed & plurimis aliis philoſophis ethnicis admodùm fuit familiare. Similiter cum *Stoicis* admiſit (g) genios eosque ſubſtantias eſſe anima praeditas adſeruit. Credidit quoque abſolutam (h) neceſſitatem, quae eſſet validiſſima omnium, & cui omnia ſubeſſent; quae uno verbo nihil eſt aliud, quàm fatum ſeu providentia, quo qvippe nomine *Stoici* comprehendebant ſeri-

(f) Id. Lib. l. Cap. VII.
(g) Id. l. cit. Cap. IIX.
(h) Id. l. cit. Cap. XXV. & XXVIII.

ſeriem cauſarum ſive rationem, ſecundum quam & quae fuère, facta ſunt, & fiunt, quae fiunt, & fient ea, qvae erunt. Quo verò jure rebus perſe inanimatis, quales ſunt magnes & ſuccinum, (i) animas ineſſe ſtatuerit, vix liquet, cùm phaenomena magnetis aeque ac ſuccini ſine ſubſidio animaeà modernis (ii) explicentur.

§. CXIV. Qualem autem in phyſicis ſeſe praeſtitit, talem quoque in medicis eundem ſeſe exhibuiſſe qvis dubitet? Etſi enim praxeωs medicae, quam exercuiſſe dicitur, nulla certa habeamus teſtimonia, niſi quod (k) *Pauſanias*

(i) Non neceſſe eſt in re inanimata, qualis eſt magnes, qui ferrum allicit, & ſuccinum, qui pilos & arenas attrahit, praeter virtutem electricam fingere animam: Carteſiani enim priorem effectum à particulis ſtriatis, benè an malè, jam non disquiro, poſteriorem verò à rarefactione aëris, frictione fortiori ſuccini valdè attenuati & levioris facti derivant, ſicuti in phyſicis prolixius explicari ſolet.

(ii) An per particulas ſtriatas *Carteſianorum*? Meritò dubito.

(k) Atticor. Cap. XIV.

nias referat, ipſum apud *Lacedaemonios* ſedata peſtilentia luſtrationes inſtituiſſe, quale quid *Melampodem, Orpheum* aliosque veteres medicos pariter feciſſe, jam ſuperius adnotavimus, & *Laërtius* adjiciat, ipſum, dum in *Aegypto* commorabatur, Sacerdotibus illorum, qui medicinam ſimul profitebantur, frequenter congreſſum fuiſſe. Unde inferimus, medicinae *Thaletem* non fuiſſe imperitum. (l) Mortuus eſt anno aetatis nonageſimo Olympiade 58. cùm certamen gymnicum ſpectaret, ſenex quippe & aeſtu inſuper ac ſiti defatigatus.

§. CXV. *Thaletis* coaevus fuit *Pherecydes,* (m) Syrius, *Badys* filius, de quo etſi non multa rei medicae à ſe tractatae documenta habeamus; Satis tamen eſt, ipſum fuiſſe phyſicum, & ſcripſiſſe non ſolùm de natura, quem librum *Galenus* in Aphoriſm. Hippocrat.

(l) Diog. Laert. Lib. 1. Segm. 39.

(m) Ita legit *Cicero* Lib. 1. quaeſt. Tuſcul. cap. 156. Alii, uti *Plinius, Sirium* dicunt pro *Siro*, quod tamen idem omninò eſt.

crat. Comment. VI. qui inter opera *Hippocratis* reperitur, tribuit *Pherecydi*, jurene an injuria, viderint alii; Sed & de *Diaeta*, quae phyſici aeque ac medici argumenti ſunt. Fuit & effectuum naturalium ſcientiſſimus, (n) naufragia atque terrae motus praedicendo, quarum praedictionum veritatem ipſe quoque eventus comprobavit. Alii peritiam ejus medicam veroſimilem reddere laborant ex loco (o) *Plutarchi* qvi

(n) Divinationis artem calluiſſe *Pherecydem*, non ſolummodò *Diogenes Laërtius* in ejus vita Lib. I. ſegm. 116. narrat, ſed & idem confirmat *Cicero* Lib. I. divinat. Cap. XIII. ubi ſic inquit: *Ne* Pherecydes *quidem ille*, Pythagorae *magiſter*, *potius divinus habebitur, quàm phyſicus, qui cùm vidiſſet aquam de jugi puteo, terrae motus dixit inſtare.* Ejusdem divinationis meminit *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. II. Cap. LXXIX. *Perhibetur* (inquit) *&* Pherecydis, Pythagorae *Doctoris alia conjectatio, ſed & illa divina: Hauſtu aquae è puteo praeſenſiſſe ac praedixiſſe ibi terrae motum.*

(o) Integer *Plutarchi* locus meretur hûc tranſcribi; Ita enim inquit: Quale eſt

qui occurrit commentario: *Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum* Epicuri *dogmata.* (p) *Cicero* putat, credidiſſe *Pherecydem* animae immortalitatem, quanquam aliâs DEOrum cultum non admodùm magni faceret: Ajunt enim, ipſum aliquando

corpus (hominis) cui & foris imminent plurimae neceſſitates, plurimi ictus, & in ſe intus habet principia malorum, ratione averti ulla quae nequeunt. Aliâs non accidiſſent cordatis hominibus difficultates urinae, inteſtinorum morbi, tabes, aquae intercutes, quorum cum quibusdam conflictatus eſt *Epicurus*, aliae *Polyaenum*, *Neoclem*, *Agathobulum* ê vita eduxerunt. Neque nos illis haec exprobramus, qui & *Pherecydem* & *Heracletum novimus in gravibus fuiſſe* morbis; Quaſi dicere voluiſſet *Plutarchus*: Non eſt mirum, homines morbis conflictari, qui nullam artis medicae habent peritiam: Cùm videamus ab inſultibus morboſis nec illos liberos eſſe, qui artis arcana ſedulò rimari adniſi ſunt.

(p) Libr. I. Tuſculanar. Quaeſt. *Pherecydes* (inquit) *Syrus* primus dixit, animos hominum eſſe ſempiternos.

quando in inſula quadam cum diſcipulis ſuis conſediſſe, & poſtquam multa de ſapientia ſua inani jactantia effutiiſſet, tandem blaſphemè pronunciaſſe: Se tametſi nulli DEO ſacrificaret, nihilo tamen pejus vitam acturum, quàm qui hecatombas ſacrificarent: Hinc (q) phthiriaſi ſeu morbo pediculari correptum miſerrimè periiſſe.

§. CXVI. Circa *Thaletis* atque *Pherecydis* tempora floruit quoqve *Epimenides Cretenſis*, *Gnoſo* oriundus, unde *Gnoſium* eundem adpellat *Pauſanias*, qui, praeterquam quod *Athenienſes*, gravi pe-

Y

(q) Hoc peſtilenti morbo correptum & à pediculis conſumtum fuiſſe *Pherecydem*, ipſemet fatetur Epiſtola ad *Thaletem*: Ita enim inquit: Morbus me invaſerat, cùm tuas accepi literas; Pediculis operiebar, & febri quatiebar totus. Conſentit in eodem morbi ac mortis genere *Aelianus variar. hiſtor. Lib. IV. Cap. XXVIII.* & *Pauſanias Atticor. Cap. XX.* Poſt haec (inquit) in illud morbi genus *Sylla* incidit, quo *Pherecydem* quoque *Syrum* conſumptum accepimus. Fuit autem Phthiriaſis ſeu morbus pedicularis.

peſtilentia valdè adflictos liberaverit à truculenta lue, ipſumque ſcelus, quo ſeſe commaculaverant, expiaverit, artem quoque divinandi egregiè calluit, & herbarum peritiam, per montium cacumina multorum annorum intervallis oberrando, non vulgarem ſibi adquiſivit, quod fabulae vulgari originem dedit, quaſi ſomno diuturno integros (r) L. annos correptus, in ſpelun-

(r) In numero annorum mirè diſſentiunt Auctores; *Pauſanias* enim Atticor. Cap. XIV. quadraginta tantùm annorum meminit ſequentibus verbis: Ibi ſedentem videas *Epimenidem Gnoſium;* Quem, cùm in agrum exiiſſet, in ſpelunca ſomno oppreſſum memorant, neque prius experrectum, quàm annos XL. obdormiviſſet. Poſteà verò & verſus heroicos feciſſe, & cùm alias urbes tum Athenas luſtraſſe. *Plutarchus* Libro: *An ſeni ſit gerenda Reſpublica?* De annis quinquaginta loquitur: *Epimenidem* dicunt, cùm adoleſcens obdormiviſſet, poſt L. annos evigilaſſe jam Senem. *Diogenes Läertius* in ejus vita Lib. I. Segm. 109. ſomnum iſtum quinquaginta & ſeptem annos duraſſe adſerit, habetque in eo conſen-

lunca quadam detentus, ſenex demum inde prodierit: Quae omnia, quo jure in medicorum numerum referri mereatur, haud obſcurè demonſtrant. An *Epimenidium* herba, cujus *Plinius* meminit, quaeque virginum mammas cohibet & conceptionem in foemellis impedire dicitur, ab *Epimenide*, ſicuti videri poſſet, denominationem ſuam trahat, non determino, ſufficienti Auctorum ſuffragio non inſtructus.

§. CXVII. Major *Pythagorae Samii* habenda eſt ratio, quippe qui unà cum diſcipulis ſuis inter primos recenſendus,

tientem *Plinium* hiſt. nat. Lib. VII. Cap. LII. Puerum (Epimenidem) aeſtu & itinere feſſum in ſpecu ſeptem & quinquaginta dormiviſſe annis, rerum faciem mutationemqve mirantem, velut poſtero experrectum die. Hinc pari numero dierum ſenio ingruente, ut tamen in ſeptimum & quinquageſimum atque centeſimum vitae duraret annum. Sunt tamen, qui haec omnia fabuloſa eſſe ajunt, & intentum radicibus colligendis, proculdubio pro uſu medico, ad tempus tantum exſpatiatum eſſe adſeverant.

dus, qui principia phyſica ipſi arti medicae adplicare, functionumque humani corporis naturalium rationes reddere conatus eſt: Atqve adeò non tam praxin medicam, curationes morborum ſuſcipiendo, exercuit, quàm potius partem medicinae theoreticam tantum excoluit. Quod aetatem ejus attinet, meritò conqueritur (s) *Fabricius*, veteres vehementer inter ſe pugnare, ut arduum omninò ſit verum à falſo, niſi divinando, internoſcere. Accedit tamen triumviris noſtrae aetatis celeberrimis, ſc. *Guilielmo Lloydio*, *Richardo Bentlejo* & *Henrico Dodvvello*, quorum duo priores ante Olympiadem XLIII 4 *Pythagoram* natum non eſſe ſuſtinent, poſterior verò ejusdem nativitatem poſt Olympiadem LII. 4 extendendam non eſſe adfirmat. Patrem habuit *Mneſarchum*, & ſectae Philoſophorum, quam *Italicam* vocant, auctor fuit, poſtquam nempè ob Tyrannidem *Polycratis* ſibi diſplicentem ê *Samo* in Italiam commigravit, ibidemque ſcholam aperuit. §. CXVIII.

(s) Bibliothec. Graec. Lib. II. Cap. XII.

§. CXVIII. Immenſo tenebatur amore Philoſophiae, imprimis phyſices atque Matheſeωs, ſeque proinde in diſciplinam dedit *Pherecydi* & *Hermodamanti:* Utque deſiderio ſuo plenius ſatisfaceret, relicta Patria peregrinationem ſuſcepit in *Aegyptum*, ibidemque cum Magis eorum atque Sacerdotibus converſatus eſt, ſolius, ſicuti (t) *Plinius* vult, Magiae addiſcendae cauſa. Habuit quoque occaſionem congrediendi Philo-

(t) Ita enim Hiſt. Nat. Lib. XXX. Cap. I. inquit: *Quanquam animadvertam, ſummam literarum claritatem gloriamque ex ea ſcientia* (Magia) *antiquitus & pene ſemper petitam. Certè* Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato *ad hanc diſcendam navigavère, exiliis verius quam peregrinationibus ſuſceptis: Hanc reverſi praedicavère; Hanc in arcanis habuère.* Et *Cicero* Lib. V. de finibus ait: *Cur ipſe* Pythagoras & Aegyptum *luſtravit*, & Perſarum Magos *adiit?* Adde *Diog. Laert. in Vit. Pyth. Lib. VIII. ſegment. 2. qui teſtatur, Pythagoram* addiſcendi ſtudioſiſſimum, relicta patria, *Aegyptum* petiiſſe, atque apud *Chaldaeos* & *Magos* converſatum fuiſſe.

Philoſophis *Perſarum*, poſtquam infortunio quodam (u) captivus in *Perſiam* à *Cambyſe* deductus erat, unde poſtmodum venit in *Italiam Bruto Conſule.* Primus uſurpavit nomen (w) *Philoſophi*, cùm antea omnes ſapientes tantùm ſeu ſophi vocarentur. Univerſam quoq; excoluit Matheſin & inprimis Geometriam, in qua multa nova detexit problemata, quorum facilè princeps eſt illud, cujus gratia hecatomben immo-

(u) Ita enarrat *Fabricius* Biblioth. Graec. Lib. II. Cap XII. procul dubio fide ſcriptorum veterum ſuffultus.

(w) Ante *Pythagorae* tempora nomen ſapientiae vel ſophiae tantum in uſu erat; Poſt *Pythagoram* verò illud ſapientiae nomen in Philoſophiam transmutatum. Ratio denominationis omnibus nota eſt; Cum enim *Pythagoras à Leonte Phliaſiorum* tyranno interrogaretur, quis eſſet? Reſpondit: Se eſſe Philoſophum, i. e. amicum ſapientiae; A quo tempore nomen Philoſophorum uſurpârunt, qui ſapientiae ſtudio ſeſe mancipaverunt. Vid. *Diogenem Laërtium* in vita *Pythagorae* Lib. VIII. Segment. 8.

molavit; Cùm ſcilicet inveniſſet, Trianguli, ορθ γωνιον quod adpellant, ſubjectum recto angulo latus tantundem valere, quantum quae illum continerent. Principia (x) omnium rerum cenſuit eſſe numeros, eorumque inter ſeſe proportiones & ex utriſque compoſita elementa, quae dicuntur Geometrica: Imo ſpeculationum harum mathematicarum vi abreptus, non dubitavit adſerere; Quod, cùm agnoſceret, quinque eſſe formas corporum ſolidorum, (y) terra ê cubo orta ſit, ignis ex pyramide, aër ex corpore octo baſium ſeu icoſaëdro ac denique globus univerſi ex dodecaedro ſeu ſolido duodecim baſium.

§. CXIX. Quod phyſicas ejus hypotheſes attinet, illarum pleraque ejus ſunt indolis, ut hodieque plurimorum promereantur adſenſum. Et ut à principiis rerum naturalium ordiamur, ita de illis ſenſit *Samius*, ea eſſe (z) numeros, eorumque inter ſeſe ſive pro-

 por-

(x) *Plutarchus* de plac. philoſ. Lib. I.
(y) Id. Lib. II. Cap. VI.
(z) Id. Lib. I.

portiones ſive concinnitates, & ex utriſque compoſita elementa, quae dicuntur Geometrica. Agnovit inſuper (a) quatuor elementa, ignem, aërem, aquam atque terram, qua in re paria cum ipſo fecit Ariſtoteles, eaque inſuper dixit corpora globoſa, demto igne, cui tanquam ſupremo turbinis formam tribuit. (b) Materiam ſuâpte natura mutabilem fluxamque per univerſa eſſe ſtatuit; quod procul dubio ratione formarum intelligendum, quippe quarum indefinitam varietatem diverſis temporibus induens materia, indolem ſuam mutabilem ſatis prodit. (c) Sectionem corporum, quae motibus ſunt obnoxia, in infinitum progredi negat cum Sectatoribus ſuis *Pythagoras;* cùm tandem ſubſiſtat in iis, quae individua ſunt & atomi vocantur: Qua tamen in re aliter hodiè ſentiunt *Carteſiani*, & diviſionem corporum, non quidem *in infinitum*, ſed tamen *in indefini-*

(a) Id. Lib. I. Cap. XIV.
(b) Id. l. allegat.
(c) Id. loc. citat.

finitum procedere, experimentis non contemnendis demonſtrant. Cumque ut paulò ante obſervavimus, (d) materiam perpesſionibus obnoxiam eſſe ſtatuerit, rerum quoque ortus atque interitus propriè dari adfirmavit: Fieri enim res alteratione, mutatione & reſolutione elementorum. Quare ipſum quoque (e) mundum interitui obnoxium eſſe credit, quia corporeus atque adeò ſenſibus eſt expoſitus. Non tamen intereà omninò periturum eſſe concedit, providentia quippe & DEO ſapientiſſimè ipſum gubernante ac continente. Totum denique univerſi hujus (f) complexum, quod videmus, rectè mundi nomine ſalutat, idque propter ordinem mirabilem, qui in eo eſt. Ex hiſce verò unguibus facilè cognoſcere licet leonem.

§. CXX. Neque infelicior fuit in detegenda natura corporum coeleſtium; Praeter *Diogenem Laërtium* enim ad-

(d) Id. loc. allegat. Cap. XXIV.
(e) Id. Lib. II. Cap. I.
(f) Id. lib. II. Cap. I.

adſerit quoque (g) *Plinius, Pythagoram* primum fuiſſe, qui veſperum atque Luciferum, i. e. Venerem, unum idemque ſidus dixit. (h) Univerſum coelum dividebat in 5. circulos, quos cingula vel Zonas vocabat, primusque ſigniferi obliquitatem inveniſſe dicitur: Unde etiam ſolem obliquum curſum conficere adſeruit. Dari (i) *Antipodes* obverſa nobis veſtigia prementes, terram inſuper globoſam eſſe & undique circumhabitari, jam dudum agnovit, etſi Epiſcopum *Vigilium* cenſurā ec-

(g) Lib. II Cap. VIII. ubi ſic ait: Infra ſolem ambit ingens ſidus adpellatum veneris, alterno meatu vagum, ipſisque cognominibus aemulum ſolis ac lunae. Praeveniens quippe, & ante matutinum exoriens, *luciferi* nomen accipit, ut ſol alter diem maturans: Contra ab occaſu refulgens nuncupatur *Veſperus*, ut praeagens lucem, vicemque Lunae reddens: Quam naturam ejus *Pythagoras Samius* primus deprehendit.

(h) Plut. de placit. phil. Lib. II. Cap. XII.

(i) Diog. Laert. in vit. Pythag. Libr.

eccleſiaſticam incurriſſe imò anathemate ideò percuſſum eſſe, quod crederet *Antipodes*, nemini poſſit eſſe ignotū. (k) Lunam verò pariter, ſicuti terram noſtram circumhabitari, tanquam terreſtre corpus conſideravit, id quod ſimiliter poſt *Carteſium* plurimi recentiorum fecerunt; Sed quod adjungat, pulchrioribus animalibus, quinquies decies noſtrorū quantitatem continentibus, neque ullum excrementum dejicientibus, lunam inhabitari, id quidem à manifeſta ſtoliditate parùm abeſt. An enim animalia iſta vivunt ex aere, ſi nulla deponant excrementa? Vel an alimenta, quibus fruuntur, ita ſincera & ab omnibus ſordibus excrementitiis repurgata ſunt, ut tota in animantium ſubſtantiam convertantur? Quis verò de venuſtate & magnitudine eorum judicabit, quae nunquam oculis ſuis uſurpavit? Niſi fortè cum *nuperrimo Navis aëriae architecto* ineptire vel potius inſanire velimus, Selenitas omnes inſtar teſtudinum ſcutis praeditos

(k) Plut. de pl. phil. Lib. III. Cap. XXX.

tos eſſe, intra quae dum ſeſe contrahunt, corpora illorum abbreviantur, & contra elongantur, dum ex eodem prominent.

§ CXXI. De anima, nobiliſſima hominis parte, ita diſſeruit *Pythagoras*, ut pleriſque Philoſophis palmam faciat dubiam. Immortalitatem ejus non quidem (l) *primus*, ſed efficaciſſimè tamen cognovit ex eo, quod immortale ſit id, à quo avulſa eſt. Praeterea adſignavit eidem (m) *duas* veluti *partes*, alteram ratione praeditam, alteram brutam ſeu rationis expertem, atqve rationem quidem vel mentem circa caput ſedem ſuam habere, vitalem

(l) Jam dudum enim hoc dogma innotuiſſe Sacerdotibus *Aegyptiorum*, ſuperius à nobis animadverſum eſt. Imò in Vita *Pherecydis* paulò antè adnotatum, animarum immortalitatem ipſum crediſſe, à qvo tanquam Praeceptore ſuo proculdubio doctrinam iſtam hauſit, ſicuti etiam *Cicero* Lib. 1. Tuſculanar. quaeſt. & *Plutarchus* Libr. IV. de placitis Philoſophorum lubentes agnoſcunt.

(m) Plut. de pl. phil. Lib. IV. Cap. IV. V. & VII.

lem verò animae partem circa cor: Cùmq; anima rationis particeps, omnis interitus expers ſit: Hinc cùm exiret, in cognatam ſibi animam mundi pervenire: Eam verò animae partem, quam brutam diximus, interitui utiq; obnoxiam eſſe. De (n) brutorum verò animantium anima ita diſſerit, ut eandem rationis quidem compotem eſſe, ſed tamen ſecundum rationem non agere adſerat, idque fieri ob incommodum corporis temperamentum, & quod bruta animantia deſtituantur loquela: Id enim clarè adparere ait in canibus & ſimiis, vocem quidem, attamen non articulatam emittentibus. Animae deniq; humanae μετεμψύχωσιν ipſum crediciſſe, non eſt, quod negemus: Ipſe enim *Hieronymus* in Apologia adverſus *Rufinum* hanc ei ſententiam tribuit, dum dicit: Et quia *Pythagorica dogmata* legiſſe me dixeram, audi, quid apud Graecos *Pythagoras* primus invenerit; Immortales eſſe animas, & de aliis corporib9 tranſire in alia: Quae eſt ve-

(n) Id. l. all. Libr. V. Cap. XX.

veriſſima *Pythagoricorum* μετεμψυχώσιν, quam omnes ferè ſcriptores unanimi ore & conſenſu *Pythagorae* tribuunt.

§. CXXII. Phyſiologia *Pythagorae* ad genium quidem noſtri ſeculi accommodata non eſt, interim tamen non omnino reprobanda. Sanitatem in harmonia quadam, cùm per harmoniam conſtent omnia, dixit conſiſtere, per quam ſi intelligatur legitima elementorum ſangvinem componentium contemperatio ac veluti proportio, nihil eſt, quod magnoperè reprehendatur. (o) Semen prolificum judicavit, eſſe ſpumam utiliſſimi ſanguinis ac veluti ſuperfluitatem alimenti, ſicuti ſanguinem & medullam. Adſeruit inſuper, ipſas quoque foeminas ſemen in coitu emittere, cùm habeant paraſtatas teſticulares, licet inverſo modo. Quod ſi de ſemine prolifico intellexit *Pythagoras*, deceptus eſt: Mulieres enim oeſtro venereo percitae materiam quidem ſemini analogam emittunt intercoëundum, quae ipſis exquiſitiſſimam

(o) Plut. de pl. phil. Libr. V. Cap. III. IV & V.

mam parit voluptatem ſeu titillationem in genitalibus: Cum vero tantum proſiliat ex glandulis vaginalibus uteri, per continuam membri virilis adfrictionem, quis vellet lympham Uteri venditare pro ſemine prolifico? Ipſam vero vim ſeu energiam ſeminis dixit eſſe incorpoream, ſicuti mentem moventem; Materiam verò, quae profunditur, eſſe corpoream; Quod eodem ferè recidit cum adſertis recentiorum, qui impraegnandi virtutem adſcribunt ſubtiliſſimo geniturae virilis ſpiritui ſeu aurae ac veluti miaſmati, cui craſſamentum ſeminis reliquum loco vehiculi tantùm inſerviat, quod proinde effoetum ac ſpiritu veluti orbum, peracto concubitu, mox denuo utero, licet non omne, elabatur. (p) Conceptionis ac foecundationis modum in foemellis ſequenti ratione explicuit: Semen ſc. eſſe cerebri ſtillam, quae calidum in ſe vaporem contineat, qui dum utero infunderetur, ex

(p) Diogen. Laërt. in vit. Pyth. Lib. VIII. ſegment. 28. & 29.

ex cerebro ſanies, humor ſanguiſque proflueret; Ex quibus poſteà caro, nervi, oſſa, totumque corpus conſiſteret Formari autem primò concretum 40. diebus, juxta rationes verò harmoniae ſeptem aut novem aut decem ut plurimum menſibus conſummatum atque perfectum gigni infantem; Quae ſanè impraegnationis ratio in mulieribus quantoperè differat ab hypotheſib9 recentiorum, per ipſam αὐτοψίαν anatomicam ſatis confirmatis, neminem latet.

§. CXXIII. Praecepta *Diaetetica*, quae reliquit nobis *Pythagoras*, omni auro pretioſiora ſunt, quia conſervandae corporis ſanitati, theſauro omnium pretioſiſſimo, apprimè ſubſerviunt, & hominem à foedis voluptatibus atq; reliquis carnis illecebris, imò & mentem a turpi effoeminatione praeſervant. Hujus generis praecepta ſunt: Semper utendum eſſe victu ſimplici ac facile parabili; Non debere quempiam facile transgredi (q) *modum* ſive in cibo

(q) Id. Lib. VIII. ſegment. 9.

lio ſive in potu, quia omnis nimia impletio eſſet nociva. Neque citra rationem juſſit abſtinere carnibus & (r) animatis, atque adeò ad faciliorem ſemper victum adſuefacere tentavit mortales: Ita enim cibos facilè parabiles ſemper habituros, dum non tantùm ea, quae anima carent, aſſumerent, ſed & aquam ſimplicem biberent. Ex hoc namque vivendi genere & corpori ſanitatem & ingenio acumen provenire. Sicuti autem cunctae hae regulae ſunt omni exceptione majores: Ita id cumprimis admiratione dignum eſt, quod *Pythagoras* haſce ſobriè vivendi regulas non ſolummodò aliis praeſcripſerit atque commendaverit, ſed & ipſe iisdem ſeſe ſubmiſerit; Nunquam enim viſus eſt (s) ſaturari, aut ebrietati indulgere, vel rebus venereis, quippe quas & mentem & corpus mirificè debilitare probè ſciebat, operam dare, ſed olera ſive cruda ſive elixa comedebat, ſoloque pane ac favo contentus vivebat, menſas opiparas, vo-

Z lupta-

(r) Id. L. cit. ſegment. 13.
(s) Id. l. alleg. ſegment. 19.

luptatum illecebras omni ſtudio evitans, pudoreque adhuc hodiè ſuffundens noſtros moralium praeceptorum Doctores, qui in cathedra conſtituti de frugalitate, continentia & ſobrietate magno faſtu & verborum phaleratorum adparatu declamant, extra eandem verò verſantes dogmata ſua turpiſſimè ac veluti certatim proſtituunt, imitantes in eo malorum medicorum peſſimos mores, qui aegrotantibus ſuis febre fortè acuta laborantibus rigidiſſimam atque tenuiſſimam Diaetam praeſcribunt, ipſimet verò, ſi in ſimilem fortè morbum inciderint, omnibus cupiditatibus fraena laxant, tanquam ſi naturae imperare eidemq; multas, ſibi verò nullas prorſus leges, praeſcribere poſſent.

§. CXXIV. Et ſicuti ſanitas corporis maxima pateretur decrementa, ſi quis *Baccho* vel *Cereri* ſtrenuè litaret: Ita ſedulò etiam ſectatores ſuos dehortabatur *Pythagoras*, ne turpi veneri ſeſe manciparent, quippe quae divinam illam rationis vim infringeret, labefactaret & ad mollem atqve turpem effoe-

effoeminationem tandem diſponeret. Si tamen venus ſectanda eſſet, non aeſtate ſed hyeme eam exercendam eſſe ſuadebat; Autumno ac vere levius: Omni verò tempore gravem & ad ſanitatem minimè idoneam eſſe: Quae dogmata cuncta etſi nec à ſana ratione abhorreant, nec ab experientia quotidiana aliena ſint, vereor tamen, ne hodiè deſipere vel prorſus inſanire videamur, ſi eadem Juvenibus, oratione utut compta atque polita, perſuadere moliremur, quorum plerique impuras, foedas & abominabiles promiſcuas meretricum veneres citatis veluti pedibus ſectantur, & non rarò digna laborum ſuorum praemia proprio in corpore reportant. Neqve citra rationes ſonticas (t) *eſu fabarum* aut ipſe abſtinuit aut alios abſtinere juſſit: Habet enim iſte cibus, ut (u) *Cicero* rectè concludit, magnam inflationem ac proinde tranquillitati mentis, quaerentis vera, omninò contrarius eſt. Flatulentia enim

(t) Diogen. Laërt. Lib. VIII. Segm. 19.
(u) Libro I. de Divinat.

moleſtiſſima replet tàm ventriculum, quàm inteſtina, intercipit ſomnum & quietem nocturnam, ipſamque animam ſuis in operationibus turbat: Unde jam ſuperius vidimus, eandem ob rationem *Sacerdotes Aegyptiorum* ab eſu fabarum providè abſtinuiſſe, ne vaticinandi vel divinandi facultatem in anima vel turbarent vel corrumperent. Pudore itaque ſuffuſum oportet eſſe (w) *Plinium*, qui *Pythagorae* imputare non dubitat, credidiſſe ipſum, fabis ineſſe animas mortuorum; Qua ſententia an ridicula magis excogitari queat, admodùm dubito: Quanquam alii *Pythagoram* ex eo potiſſimùm capite excuſare nitantur, quod fabae nomine intellectum voluerit ovum, quod in eo ſit ἡ τῶν ζώων κύησις ſeu foetura & primum velu-

(w) *Hiſt. Nat. Libr. XVIII. Cap. XII. ubi ſic ait: Quin & priſco ritu fabaria ſuae religionis Diis in ſacro eſt, praevalens pulmentari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere.* Hactenus bene. *Ob haec* Pythagorica ſententia *damnata; Ut alii tradidere, quoniam mortuorum animae ſint in ea.*

veluti animalis rudimentum, quae quidem ſententia etſi videatur tolerabilior, *animo* tamen *Pythagorico* eſt indigna. Magis adhuc proſtituiſſe ſeſe videtur (x) *Ariſtoteles*, quippe qui rationem prorſus ridiculam adfert, quare fabis abſtinere juſſerit *Pythagoras*; Scil. vel quod partibus genitalibus virilibus ſive quod inferni januis ſimiles ſint. Aut enim deliravit *Ariſtoteles*, aut, ſi mitius cum eo agendum, judicare minimum licebit, ipſum, virum aliâs graviſſimum, hîc tamen jocatum eſſe, quae eſt cenſura *Merulae Caſauboni* (y) notis ad *Diogenem Laërtium*.

§. CXXV. Ita ergò ne ipſam quidem medicinam neglexiſſe noſtrum in aprico eſt; Hanc enim ob cauſam peregrinationem ſuſcepit in (z) Aegyptum,

(x) Libr. de fabis.
(y) Libr. VIII. Segment. 34.
(z) *Plinius* Lib. XXXVI. Cap. IX. putat, *Pythagoram* in *Aegypto* fuiſſe regnante *Semneſerteo*: *Reinerus* vero *Reineccius* ſub Rege *Amaſide*, qui à partibus ſuis habet *Diogenem Laërtium*: Hinc enim refert, *Pythagoram* in *Aegyptum* proficiſcentem

ptum, ut ibi Sacerdotibus, qui medicam artem ſimul exercebant, congrederetur. An verò ipſi praxi, quam *Clinicen* hodiè vocamus, ſeſe adplicuerit, inque lectulis ſuis aegrotantes viſitaverit, ambiguum eſt. Caeterum cauſas morborum refundebat in animas, quarum aër plenus eſſet, easqve & Daemones & Heroas exiſtimabat: Atque ab his immitti putabat hominibus ſomnia, & ſigna morbi ac ſanitatis; Neque ſolùm hominibus, verùm etiam pecudibus ac jumentis reliquis. Atqve ad hos referri luſtrationes & expiationes; Quam hypotheſin ab *Aegyptiorum Sacerdotibus*, ab omni quippe ſuperſtitione non remotis, ipſi fuiſſe infuſam probabile eſt. De virtutibus herbarum, teſte (a) *Plinio*, librum edidit,

Amaſidi per literas fuiſſe commendatum à *Polycrate Sami* tyranno. Poteſt verò uterque amicè componi & contradictio evitari, dicendo, unum alteri ſucceſſiſſe, ſicque ſub imperio utriusque potuit fuiſſe in *Aegypto*.

(a) Libr. XXV. Cap. II. his verbis: Ab eo

dit, inter quas oleri ſingularem tribuebat efficaciam, quod & alios ex antiquis medicis feciſſe novimus. Numeris ac potiſſimum ſeptenario ſingularem

Pythagoras, clarus ſapientia primus volumen de earum (herbarum) effectu compoſuit, *Apollini Aeſculapioque*, & in totum Diis immortalibus inventione & origine adſignata. Adeoque falluntur, qui nullum plane ingenii monimentum à *Pythagora* relictum eſſe exiſtimant, quos inter ipſe quoque *Plutarchus* nomen ſuum profitetur; Quanquam non negem, pleraque eſſe ſuppoſititia, quae ipſi tribuuntur, quorumque catalogum ſuppeditavit *Fabricius* Bibliothec. Graec. Lib. II. Cap. XII. num. III. A quorum ſcriptorum numero ipſum quoque volumen de virtutibus herbarum medicis, de quo paulò antè *Plinium* audivimus loquentem, non excipiunt, ſed cuidam Medico *Cleemporo* vindicare non dubitant (): -bus tamen reſpondet idem *Plinius* Lib. XXIV. Cap. XVI. dum inquit: Nec me fallit, hoc volumen à quibusdam *Cleemporo* medico adſcribi, *Pythagorae* pertinax fama antiquitasque vindicavit.

rem quoque tribuebat energiam; Unde hodieque (b) *anni climacterici* periculo ſi eſſe

(b) Sunt, qui numeris magnam tribuunt efficaciam, & *annos climactericos* magna portendere pericula ſibi imaginantur: Unde *Aulus Gellius* Lib. III. Cap. X. ait: Pericula quoque vitae fortunarumque hominum, quae *Climacteres Chaldaei* adpellant, graviſſima quaeque fieri adfirmat *Ariſtides Samius*, ſeptenariis. Quos tamen ridet & vanitatis redarguit *Galenus* Lib. III. Cap. VIII. *de diebus decretoriis*, quando inquit: Mutationes non numeris, ſed lunae terrena debent. At cum in motu mutans conſiſtat, tempus mutationibus neceſſariò injunctum eſt, quare etiam numerus neceſſariò. Non igitur, quod omnis par numerus foeminam, impar maſculum referat, acutorum judicia imparibus diebus accidunt: Neque enim impar abſolutè pari fortior eſt, neque ſi fortior, jam foemininus imbecillior: Neque ſi foemininus quidem hic, maſculus autem alter ſit, acutos morbos in maſculis numeris judicari, diuturnos in foemininis, rationi conſentaneum eſt. Omnia ſiquidem, quae de numerorum virtute nugantur, tàm fa-

ſi eſſe creduntur, quique eosdem proſpera fortuna tranſilit, magno ſe vitae periculo exemtum eſſe putat. Tandem officio ſuo inter mortales probè defunctus, anno aetatis nonageſimo nono, vel, ut alii referunt, anno centeſimo decimo ſeptimo obiit, vel poſt praelium inter *Agrigentinos* & *Syracuſanos* trucidatus, ſicuti ipſemet praedixerat. Statuam eidem *Romae* poſitam eſſe refert *Plinius*, ob immenſa ejus merita: Prima enim columnarum ratio erat, eodem (c) *Plinio* teſte, attolli ſupra coeteros mortales.

§. CXXVI. Praeter *Samium*, Philoſophum, cujus hiſtoriam modò abſolvimus, plures alii fuêre *Pythagorae*, minimum undecim vel duodecim, quorum patriam & profeſſionem prolixè ex *Laërtio* aliisque recenſet loco proximè allegato *Fabricius*; Inter quos

 etiam

cilè abſurda eſſe deprehendimus, ut mihi ſubinde mirari ſubeat, *Pythagoram* illum tàm ſapientem virum numeris tantùm tribuiſſe. Atqui nunc adverſus iſtos nugari non vacat.

(c) Libr. XXIV. Cap. VI.

etiam reperitur, qui profeſſione medicus fuit, & περὶ κήλης, de hernia, ſive, ut alii legunt, περὶ σκίλλης, de ſcilla vel ſquilla (herba) ſcripſiſſe dicitur. Hunc tamen ultimum, qui de ſcilla ſcripſerit, (d) *Plinius* non medicum, ſed philoſophum vocat; Incertum itaque, an cum priori, quem *Diogenes Laertius* medicum diſertè adpellat, idem ſit, an vero ab eodem diverſus; Qua de re hac vice prolixius non diſpiciemus.

§. CXXVII. Silentio hîc praetermittendus non eſt (e) *Zamolxis* ſive *Samol-*

(d) Hiſt. Nat. Libr. XIX. Cap. V. Unum [inquit] de his volumen condidit *Pythagoras* Philoſophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro.

(e) In antiquis quibusdam Codicibus pro *Zamolxi* legi *Samolxin* vel *Samolſin* nonnulli obſervârunt: Ex variis enim veterum nummis liquidò adparet, frequenter Z pro Σ propter literarum promiſcuam permutationem ſcriptum eſſe, quales ex Muſaeo Regio Pariſienſi ex *Gaza Medicaea* profert Illuſtrisſimus L. B. *Spanhemius* de uſu & praeſtantia nu-

molſes, Thrax, (f) *Pythagorae* ſervus ſimulque diſcipulus; Famulum enim & auditorem ſimul fuiſſe nihil repugnat. Praeterquam quod primus *Thracum Getarumque* legislator fuerit, & philoſophicae eruditionis laude apud ipſos admodùm inclaruerit, medici quoque eundem in partes ſuas trahunt. Syſtema ejus tale fuit: Morbos v. g. oculorum curari non poſſe, niſi caput prius curatum fuerit; Caput curari non poſſe, non perſanato reliquo corpore, neque corpus curari poſſe, niſi curata ipſa anima: Unde graviter reprehendit plerosque Graecorum medicorum, qui in percurandis plerisque morbis propterea finem ſuum obtinere non potuerint, quod utiliſſimam hanc regulam ignoraverint. Quapropter ipſe omnem ſuum laborem & induſtriam in

miſmatum Diſſert. II. p. 75. Atque hinc factum eſſe putat, illum gentilitium Getarum DEUM, *Pythagorae* verò ſervum, promiſcue modo *Zamolxin* modo Σάμολξιν in antiquis codicibus adpellari.

(f) Diog. Laërt. Lib. VIII. ſegm. 2.

in eo collocabat, ut animam ipſam prius curaret. Id quod diſcurſibus ſapientia multa refertis in effectum deducere adlaborabat: De cujus rei ſucceſſu felici ideò non deſperavit, quia curata anima ipſum quoque corpus facilè curari poſſe, perſuaſiſſimus erat. Alii malunt, incantationibus magicis propriè dictis *Zamolxin* curaſſe morbos, adſerere; Notus enim eſt ille priſcis uſitatus mos ἐπωδῶν, incantationes ad vulnerum curationem auribus vulgò inſinuandi; Qua de re *Arnobius* ita loquitur: Sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Quare ſalutares ejus generis ἐπῳδαὶ ceu ad aurem incantationes ad animae quoque & adfectuum curationem tranſlatae ſunt à *Zamolxide*, rem, ſicuti retulimus, ita explicante Illuſtriſſimo L. B. (g) *Spanhemio*. Quicquid vero horum ſit, ejus merita à popularibus ſuis in tantô fuere pretio, ut divinos ei honores poſt mortem decreve-

(g) De uſ. & praeſt. Numiſmat. Diſſ. III. p. 187. & 179.

verint, pro *Saturno*, vel, prout *Porphirius* refert, *Hercule* ipſum colentes, & quotannis praeſtantiſſimum ex Senibus eidem immolantes.

§. CXXVIII. Veniamus jam ad nonnullos alios *Pythagorae* diſcipulos, qui laudem excultae, praeter Philoſophiam, medicinae reportarunt, inter quos palmam reliquis omnibus diſputare videtur *Empedocles*. Fuit is *Metonis* filius, *Agrigentinus*, & floruit Olympiade 84. ſive anno mundi 3506. Phyſicam ſeu ſcientiam naturalium diligentiſſimè excoluit, in qua haec fuêre placita Ejus: (h) Elementa agnovit eadem, quae *Pythagoras*, ejusdem Praeceptor, ignem nempè, aërem, aquam atque terram; Ita tamen, ut ante haec ſupponat minutiſſima quaedam fragmenta, tanquam elementa elementis priora ſimilarium partium atq; teretia: Unde ex minoribus hiſce molibus coaleſcere putat elementa. Principiorum autem duo tantùm admittit, nempè *Amicitiam* atque *Diſcordiam*, quorum

(h) Plut. de placit. philoſ. Lib. I. Cap. XIII.

rum primô res unirentur, alterô verò diſcernerentur. *Vacuum*, de cujus exiſtentia tanto cum fervore omni tempore diſputârunt Philoſophi, litibus ne noſtra quidem aetate finitis, pertinaciter negavit ac pernegavit. Ita enim ipſemet canit:

In mundo vacuum nihil eſt, nihil eſt, quod abundet.

Similiter ac (i) ortum & interitum corporū vocavit in dubiū. *Empedocles* enim, qui cum *Epicuro* mundū ē minutis conſtruebat particulis, concretiones quidē & ſecretiones quasdē admittebat, ortꝰ verò ac interitus rerum prorſus ſuſtulit. Et ſicuti principiorum phyſicorum optimè gnarus erat; Ita ipſorum quoque effectuum naturalium ſedulus erat ſcrutator. Hujusque ſuae peritiae praeclarum edidit documentum, dum (k) *Selinuntios*, quos ex circumjacentis fluvii foetore peſtis invaſerat, ab eadem liberavit, duos ſcil. ex proximis

(i) Id Libr. I. Cap. XXIV.

(k) Laert. in Vit. Empedoc. Lib. VIII. ſegment. 70.

mis amnibus in flumen iſtud deducendo, eaque ratione aquam dulcem reddendo & à foetore ſuo liberando.

§. CXXIX. Principiis rerum ita ſtabilitis fabricam totius univerſi inde poſtea deduxit. Ita enim de (l) generatione mundi philoſophatur: Primò ſecretum fuiſſe aetherem, deinde ignem, poſt terram, quâ nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis aquam ebulliviſſe. Ex hac aërem exhalaſſe, ac coelum quidem ex aethere natum, ſolem ex igne, reliqua quae ſunt circa terram, condenſata ex reliquis coiiſſe. Hunc verò (m) mundum ab ipſo univerſo ſollicitè diſtinxit; Cenſuit enim, unum quidem mundum eſſe, non verò idem cum univerſo, verùm exiguam tantùm univerſi partem, reliquum otioſam eſſe materiam.

§. CXXX. Atque ita de natura corporum terreſtrium ſenſiſſe videtur. Coeleſtium verò indolem non omninò ad-

(l) Plut. Lib. II. Cap. VI. de plac. philoſ.
(m) Id. Lib. I. p. 879.

adſecutus eſt. Coelum enim ob ſummam ſuam pelluciditatem cryſtallo rectè quidem comparabat, ſed cùm glaciei in modum ſolidum idem ſtatueret, nemo non videt, ipſum phaenomena corporum coeleſtium apertiſſimè contradixiſſe: Motus enim planetarum & cometarum, qui vaſtiſſima coelorum ſpatia pererrant, irrefragabile de coelorum fluiditate teſtimonium praebent. Rectius verò de (n) ſole videtur ſenſiſſe, quem dixit ingentem eſſe ignis maſſam, & luna multò majorem, hanc verò diſci habere ſimilitudinem. Nec non de (o) ſtellis fixis, quas omnes, cum ſint totidem veluti ſoles, igneae pariter naturae eſſe adſeruit, ex eo ſcil. igne, quem in ſe continens aether in prima ſecretione eliſerit: Et quidem cùm duplices eſſe ſtellas pariter agnoſceret, inerrantes ſeu fixas cryſtallo eſſe alligatas, errones verò ab eo ſolutos cenſuit.

§. CXXXI.

(n) Diog. Laert. Lib. VIII. Segm. 77.
(o) Plut. de pl. Phil. Lib. II. Cap. XIII.

§. CXXXI. Phyſiologiam Empedoclis quod attinet, ea pariter principiis anteà adlatis reſpondet: Naturam enim nihil aliud eſſe docuit, quàm elementorum permixtionem & ſecretionem; Id enim ex primo ejusdem de Philoſophia naturali libro manifeſtè patet, ubi ſic loquitur:

Jam quod NATURAM mortales nomine dicunt,
Hoc nihil eſt, neque enim mortem Natura, vel ortum
Humano praebet generi: Nam mixtio tantùm
Mixtorumq; ſubeſt quaedam ſecretio rebus
Idque homines vulgò NATURAM dicere ſuêrunt.

De generatione animalium, ſi *Galeno* credamus, hanc paradoxam fovebat opinionem, quod certae corporis animalis partes continerentur in ſemine maſculi, aliaeque certae iterùm in ſemine foemellae, unde exurgeret adpetitus venereus utriusque ſexus, quo partes iſtae ſeparatae ſuam quaererent

 reuni-

reunionem; Ubi jam ſuprà dubium re
didimus, an foeminae in coitu ſem
prolificum emittant, & ſi emittant,
partes foetus delineatas habeat?
dem difficultas eſt de ſemine maſc
lino & imperceptibili iſto adpetitu, q
demum ideae diverſorum ſeminum
am quaerant reunionem: Quae dub
cuncta reſcindit hypotheſis recent
rum, qua in ovulis muliebribus u
verſum foetus rudimentum deline
tum eſſe ſupponunt, à ſpiritu ſem
nis maſculini activo demum evolve
dum & actuandum. Geminorum v
trigeminorum originem deducebat
abundantia ac diviſione geniturae
quod & aliis praeter *Empedoclem* i
placuit, licet gemellorum origines e
praedicta Neotericorum hypotheſi lo
ge veroſimilius deducantur. Qu
verò proles aut parentum aut proge
torum (p) ſimilitudinem utplurim
referat, id adſcribendum eſſe exiſt
mabat praedominio ſeminis praevale
tis, diſſimilitudinem verò evapor
tio

(p) Plut. de pl. Phil. Lib. V. Cap. II.

tioni caloris, qui in ſemine fuerat. Et quod nonnunquam aliorum potius, quàm parentum imaginem referrent infantes, (q) imaginationi matris in aliud objectum defixae rectiſſimè imputavit. Et quanquam probabile ſit, principium formationis foetus in utero fieri à primo ſtatim conceptionis ſeu impraegnationis momento, aliter tamen viſum fuit *Empedocli* : Membra ſcil. hominum incipere conformari (r) à die XXXVI. perfici autem die undequinquageſima. Aſt (s) vitalitatem in partu ſeptimeſtri non moroſe quidem negat, ſed mira tamen ratione explicat : Quo enim tempore humanum genus é terra eſſet enatum propter tarditatem motus ſolis, tanta fuiſſet longitudo unius diei, quanta nunc eſt decem menſium ; Ideoq; infert, & decimo menſe & ſeptimo editos foetus eſſe vitales, natura mundi hoc meditata, ut una die infans augeſcat & naſcatur.

 Quid

(q) Id. l. cit. Cap. XII.
(r) Id. Libr. V. Cap. XIX.
(s) Id. l. cit. Cap. XIIX.

Quid vero mirabimur *Empedoclem* tam ſplendidè nugas agentem in negotio tàm ſeriô & arduô? Cùm veram hominum originem profundisſime ignoraverit, nec ſolius rationis humanae viribus adſequi unquam valuerit. Sicuti verò unô admiſſô abſurdô facilè conſequitur alterum: Ita (t) differentiam ſexuum ubi explicare adgreditur, aequè ridicula profert. Hanc enim derivat à calore & frigore: Cùm enim ſecundum ejus hypotheſin homines e terra ſint enati, quid ſequitur clarius, quàm in partibus ad ortum ſolis & meridiem ſitis emerſiſſe mares, in ſeptentrionalibus verò foeminas: Hae namq; à maſculis calore multùm ſuperantur, uti experientia conſtat.

§. CXXXII. Denique, ut adpareat, ex quibus (u) elementis ſingulae partes corporis humani componerentur, ita negotium iſtud explicuit: Carnes nimirum naſci ex interna elementorum contemperatione; Nervos duplici-

(t) Id. l. all. Cap. VII.
(u) Id. Libr. V. Cap. XXII.

plicibus ignis ac terrae portionibus ad mixtis, ungues nervis ubi occurrerunt, refrigeratis, & oſſa denique ex aqua & terra interna. Poſſent haec utcunque aequo animo tolerari, ſi de nobiliori & ſanctiori hominis parte, anima, praeclarius ſenſiſſet: Id enim cum primis malè nos habet, quod, repudiata Praeceptoris ſui ſententia, de ſempiterna animae duratione ejus naturam vel (w) principem potius animae partem in ipſo ſanguine quaeſiverit. Facilè namque adparet, quae periculoſa inde fluant conſectaria: Si enim princeps animae pars reſidet in ſanguine, ſanguis autem materialis eſt, quique ſucceſſu temporis perit & evaporat, quid ſimplicioris eſt ſequelae, quàm animam eſſe corpoream, materialem, corruptibilem?

§. CXXXIII. Et quemadmodum in negotio generationis exponendo ſeſe geſſit: Ita etiam in reliquis functionibus explicandis ſingulares adfectat hypotheſes: Negotium enim reſpirationis ſequentem in modum explicat:

 (x)

(w) Id. Libr. IV. Cap. V.

(x) Nacta ſcil. abſceſſionem humiditate in foetu edito, ſuccedere in ejus locum extrinſecus aërem in vaſa corporis aperta: Poſtmodū autem cùm jam innatus calor foras erumpens una elideret aërem, fieri exſpirationem: Eodemque introrſum retrocedente & aëri viciſſim ingreſſum praebente, inſpirationem. Quid verò opus fuiſſet inanibus hiſce fabularum luſibus, ſi Anatomiam calluiſſet? Ita enim ex ſtructura muſculorum tàm abdominis quàm diaphragmatis & intercoſtalium imò ipſorum quoque pulmonum longè clarius perſpexiſſet univerſum reſpirationis, quatenus & inſpirando & exſpirando abſolvitur, negotium. Quid de ſenſibus externis, auditu, viſu, olfactu &c. eorumque fiendi modo ſomniaverit, non prolixe referam, de ſomno tantum naturali id adhuc adjiciens, quod eundem moderata caloris, qui in ſanguine eſt, refrigeratione fieri arbitretur; Quae ſi perfecta fuerit, mortem accidere: Hanc enim nihil ali-

(x) Id. Libr. IV. Cap. XXII.

aliud eſſe profitetur, quàm igneae naturae ſecretionem ab his, ex quibus homo coaluit. Quapropter mortem & animae & corpori communem eſſe concludit: Unde novum exurgit argumentum inferendi, *Empedoclem* animae rationalis immortalitatem penitus negaſſe.

§. CXXXIV. Praeter *Theoriam*, quam vulgò vocant, *medicam*, ipſam quoque *praxin* diligenter excoluit, & multa praeclara ejus rei dedit ſpecimina: Non enim vulgarem ſibi famam comparavit ex eo, quod reſtituerit foeminam, ex ſuffocatione uteri laborantem, & inter mortuas jam relatam, quam proinde à mortuis veluti ad vitam revocâſſe apud plebem credebatur; Adſerens inſuper, nihil impedire, quò minus (y) mulier ἄπνους, ſpiri-

(y) Hunc adfectum de ſtrangulatione uteri explicare non dubitavi: Mulieres enim talem ſuffocationem paſſae mortuorum inſtar ſine reſpiratione videntur, & integros ſaepè dies continuos in tali ſtatu verſentur, & ut mor-

tu carens, ſeu ſtrangulatione uteri detenta, 30. dies in hoc ſtatu permanere queat. Dicitur etiam annonae caritatem *Siciliam* occupantem ſingulari artificio repreſſiſſe: (z) Eteſiis enim vehementer aliquando ſpirantibus & fruges corrumpentibus, ajunt, utres ipſum feciſſe & verticibus montium ad incarcerandum ventos admoviſſe, ſicque procellam ſedaſſe, unde etiam κωλυσανέμαν vocatum fuiſſe dicunt. Quid

tuae ſepeliuntur: Unde ſedulò cavendum, ne ejusmodi foeminae hyſtericae ante diem tertium vel quartũ ſepulturae tradantur vel cultro anatomico ſubjiciantur, quia nonnunquam inter operandum reviviſcunt, quod infortunium ſecundum relationem *Paraei* contigiſſe dicitur *Magno Veſalio*, qui proptereà *Hiſpania*, ubi praxim medicam magno cum adplauſu hactenus exercuerat, excedere coactus fuit, & animi moerore poſteà confectus non multò poſt vitam cum morte commutavit, ſicuti id Hiſtor. noſtr. Anat. §. XCVIII. p. 72. jam à nobis relatum eſt

(z) Ita ex *Timaeo* refert. Diog. Laert. Lib. VIII. ſeq. 60. & 61.

Quid autem pluribus opus eſt teſtimoniis, praeter phyſicam ſolerter ipſum medicinam quoque excoluiſſe, cùm ipſemet in Poëmatibus ingenuè hoc fateatur, dum inquit:

Pharmaca, quêis pellas morbos leveſque ſenectam,
Percipies, quae cuncta tibi communico ſoli.
Compeſceſque truces ventorum ritè procellas
Exorti inſanis qui vaſtant flatibus agros
Surſum, ſi libeat, mox flamina pigra ciebis,
Et media induces è tempeſtate ſerenum.
Induces media pluvios aeſtate ſalubres,
Et flatus ſicca qui perflent omnia meſſe;
Extinctumq; hominem nigro revocabis ab orco.

Fateor eqvidem, mira, inſolita & extraordinaria eſſe, quae de ſe jactat *Empedocles*, ſenectutem pellere, ventorum procellas compeſcere & ſerenum inducere, extinctos homines ex orco revocare &c. An verò propterea Ma-

giae ipſum cum (a) *Plinio* accuſabimus, totamq; ejus, medendi artem criminis hujus ſuſpectam fuiſſe proclamabimus? Minimè gentium: Quas enim in peregrinas fecit regiones peregrinationes, medicinae cauſa ſuſcepit, quam tamen cum Magia, ſed naturali, arctiſſimè fuiſſe connexam, jam aliquoties monuimus.

§. CXXXV. Hanc proinde tanto habuit in pretio, ut Virum medicum omnibus aliis longisſimè anteferendum exiſtimaret, tanquam qui omnium proximè ad DEOrum immortalium indolem accederet. Extraordinariam tamen habuit mortem, quamvis variae de ejusdem obitu circumferantur ſententiae; Alii enim in *Pelopon-*

(a) Plinius diſertè Empedoclem inter Magos refert, & ob ſolam Magiam addiſcendam tàm longinquas regiones ſalutaſſe tradit hiſce verbis: Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc diſcendam navigavere, exiliis verius quàm navigationibus ſuſceptis; Hanc reverſi praedicavere; Hanc in arcanis habuêre.

loponneſo, in quam ſeceſſerat, diem ſupremum obiiſſe narrant. Alii virtute miraculoſa eundem ſubitò evanuiſſe & in coelos abreptum fuiſſe opinantur. Alii montem *Aethnam* eundem petiiſſe, atque in crateres ignis ſeu montis iſtius incendia ſeſe conjeciſſe autumant. Et alii denique *Meſſanam* curru vectum cecidiſſe & coxam fregiſſe, ſicque ex hoc morbo diem ſupremum anno aetatis ſeptuageſimo ſeptimo obiiſse, referunt. Scripſit de medicina carmina ſexcenta. De reliquis ejusdem ſcriptis evolvatur *Fabricius* in Bibliotheca Graeca, qui ordine illa recenſuit.

§. CXXXVI. Diſcipulus *Empedoclis* fuit *Pauſanias*, *Anchiti* filius, quem teſtimonio *Diogenis Laërtii* admodùm habuit in deliciis, & cui libros ſuos de Natura dedicavit. Diſtinguendus eſt ab alio *Pauſania*, Medico Alexandri M. de quo dicetur inferius. Nulla quidem artis medicae ab ipſo excultae proſtant teſtimonia; Credibile tamen eſt, à tanto Praeceptore, imò, ut plus dicam, amaſio, multa *Pauſaniam* didiciſſe.

§. CXXXVII.

§. CXXXVII. Revertamur ad *Pythagoraeos* ſectatores, quorum ut & mulierum *Pythagoricarum* elenchum ordine alphabetico exhibuit integro Capite decimo tertio *Fabricius* in Bibliotheca Graeca. In Auditorum *Pythagorae* numero, qui praeter Philoſophiam (b) Medicinae ſimul ſedulam navarunt operam, meritò commemorandus *Alcmaeon, Crotoniates, Pirithi* filius, qui certè, ſi quis ullus alius, de notitia rerum naturalium modeſtiſſimè ſenſit, ſcientiam manifeſtam ſolis Diis vindicando, conjecturas ſolas hominibus permittendo, quae, ſi Philoſophorum omnium animis profundius inſideret ſententia, heu! quot inutilibus litibus & controverſiis jugulum praeſcinderetur! Ut verò diſtinctius de placitis ejus Phyſiologicis diſpiciamus, notari meretur, (c) cauſam bonae valetudinis continentem repoſuiſſe ipſum in aequabilitate facultatum ſive potius qualita-

(b) Diog. Laërt. Libr. VIII. ſegm. 83.
(c) Plut. de plac. Phil. Lib. V. Cap. XXX.

litatum, humidi, calidi, frigidi, ſicci, dulcis, amari ac reliquarum qualitatum, quam hypotheſin ſucceſſivis temporibus ab *Alcmaeo* aſſumtam adprobaſſe videntur *Hippocrates* aeq; ac *Galenus*, imò & recentiorum quàm plurimi, qui pl·umq; qualitatum iſtarum congeriem cum *Hippocrate* per SEXCENTA ALIA enunciare ſolent. Econtrario ſi qua harum facultatum ſola praevaleat caeteris, morbum gigni pronunciavit. Ideoq; ſanitatem in concinnâ quâdam qualitatum temperie i. e. certa proportione invicem reſpondentium collocavit: Quae hypotheſis, ſi comoda explicatione juvetur eidemq; ſuccurratur, utcunque tolerabilis eſt.

§. CXXXVIII. Aſt de ſomno & morte lepidam fovebat ſententiam: Somnum enim oriri dixit (d) ſanguinis receptu in concurſum venarum; Diffuſione verò ejusdem nos evigilare; Quis enim praecordiorum anxietates ſatis exprimeret, ſi ſanguis â peripheria repulſus verſus centrum intra vaſa ma-

(d) Id. l. cit. Cap. XXIV.

majora reciperetur; Contrarium e-nim tempore ſomni fieri, ligaturarum ſtricturae arctiores factae manifeſtè teſtantur, quae de partium potius fibroſo-poroſarum diſtenſione & ſanguinis per partes periphericas diffuſione, quàm conſtrictione & receptu in venas majores teſtantur. Sicuti autem receptus ſanguinis in concurſum Venarum ſomnum; Ita plenus ejus abſceſſus mortis cauſa exiſteret. Senſuum quoqve formalem rationem auſus fuit determinare. Et (e) auditum quidem inani, quod intra aurem eſt, fieri in hominibus docuit: Id enim perſonare, adpellente aëre; quia omnia vacua ſonarent. (f) Olfactum ita expoſuit: In cerebro nempè haerere principem animae partem, & ea ſentiri odores ſpirando attractos; Quod idem ferè eſt, quod dicunt nonnulli *Carteſiani*, in oculis non fieri viſum, in auribus non contingere auditum, & ſic porrò, ſed ſolam eſſe animan, quae in cerebro videat

(e) Id. Lib. IV. Cap. XVI.
(f) Id. l. cit. Cap. XVII.

deat, audiat, olfaciat, & quidem per oculos, aures, nares &c. (g) Sapores deniq; diſcerni humiditate & tepore, qui in lingua eſt; Quod experientiae apprimè congruit, uti febricitantes teſtantur, qui propter nimiam linguae ariditatem nihil guſtant: **Es ſchmecket ihnen alles wie dörre Holtz.**

§. CXXXIX. Naturam ſeminis prolifici quidem non cognovit, ſed effectus tamen optimè perſpexit; Cùm enim facultatem animalem prodiga ejusdem profuſione admodum labefactari obſervaret, non dubitavit illud (h) partem cerebri judicare. (i) Foetum in utero adhuc haerentem conſideravit *inſtar ſpongiae*, quae intra ſeſe recipiat, quicquid alendo eſt idoneum; Quale commentum conciliare vix poſſum cum eo, quod *Chalcidius* in *Timaeum Platonis* de *Alcmaeone* praedicat, eum nempè fuiſſe (k) *primum*, qui corpora animalium, ad hiſtoriam partium addiſcen

(g) Id. l. all. Cap. XIIX.
(h) Id. Lib. V. Cap. III.
(i) Id. l. all. Cap. XVI.

cendam, ſecuerit. Si enim, quod *Chalcidius* praetendit, verum eſt, corpora brutorum, & fortaſſis etiam hominum, cultro Anatomico ſubjeciſſe *Alcmaeonem*, coecum oportuit fuiſſe eundem, quod non obſervaverit vaſa umbilicalia, quorum demum interventu ſanguis & nutrimentū maternum cum foetu nutriendo cōmunicatur. Ita etiam, quod ordinem partium in foetu formandarum attinet, abſonum fuit ſtatuere, caput tanquam principē partem eſſe, quod primùm abſolvatur in Utero. Longè enim aliter viſum eſt recentioribus Phyſiologis. Optimum, quod etiam genuinum atque ſincerum ex ore Praeceptoris ſui retinuit, dogma eſt, quod animae immortalitatem crediderit, moverique eandem continuò inſtar ſolis: Perpetuus enim motus eſt Anima, movendoque omnes ſuas exerit operationes.

§. CXL.

(k) Falſum hoc eſſe, ea docere poſſunt, quae ſupra de Regibus quibusdam *Aegypti* adnotavimus, qui corpora mortuorum dudum ſecuêrunt, ut obſervarent, quibus morbis defuncti eſſent.

§. CXL. Inter *Pythagorae* diſcipulos, medicinae cultores, referri quoque meretur *Epicharmus*, (l) *Elothalis* filius, *Cous*, vel prout alii volunt, (m) *Siculus*; Quin enim hic medicinae operam dederit, dubitare nos non ſinit *Diogenes Laërtius*, qui phyſiologica ac medica commentaria ipſum reliquiſſe teſtatur, idemque confirmat (n) *Plinius*, qui

(l) *Fabricius* Bibliothec. Graec. Lib. II. Cap. XIII. hunc *Epicharmum Thyrſi* filium adpellat, eumque in Notitia Comicorum inter Comicos refert; Quae adſertio nobis non repugnat: Cùm enim ob *Hieronis* tyrannidem à profesſione philoſophiae publica abſtineret, adparuit ſubinde in theatrô, & dogmata *Pythagorica* verſibus incluſa evulgavit. Eſſe verò eundem, de quo Loc. cit. loquitur *Fabricius*, ex eo adparet, quod *Coum* eundem, quod Philoſophiae Profeſſorem, quod *Pythagorae* Sectatorem adpellet.

(m) Neque in hoc contradictio eſt; Patria enim *Cous* fuit, ſed vix trimeſtris venit in *Siciliam*, ibique vitam duxit: Unde *Siculus* dictus.

(n) Hiſt. nat. Lib. XX. Cap. IX.

qui ſimiliter inter medicos eundem refert, atque de eo adſerit, quod braſſicam utiliſſimam eſſe crediderit ad depellenda mala teſtium & genitalium, ſi hiſce folia ejus imponerentur. An ſcripta ejus hodiè adhuc lateant *Romae* in *Bibliotheca Vaticana*, ſicuti praetendit (o) *Tiraquellus*, in dubio relinquo. Habuit filium *Metrodorum* dictum, qui pleraſque patris ſui doctrinas ad rem medicam traduxit, ejusque libros procul dubio medici argumenti expoſuit, ſicuti ex *Jamblicho* refert *Fabricius*.

§. CXLI. *Timaeus* (p) *Locrus* ſive *Locrenſis*, (r) *Pythagoricorum* claſſi adnumeratus, Medicinae quoque laude conſpicuus fuit; Praecipuè tamen à *Platone* in *Timaeo* laudatur tanquam Ἀϛρονομικώτατος, quique naturam univerſi dil-

(o) De Nobilitate Cap. XXXI.

(p) Ut diſtinguatur à *Timaeo Crotoniata* & *Timaeo Pario*, qui ſimul in catalogo *Pythagoricorum* recenſetur. Diverſus quoque eſt à *Timaeo*, cujus *Plinius* meminit, quique de Medicina metallica ſcripſit.

(r) Cicero Lib. V. de finibus expreſsè hoc facit.

diligentiſſimè inquiſiverit; Neq; enim (s) *Plutarcho* teſte, *Timaeus Platonis* à capite ad calcem aliud continet praeterquam dialogum de exordio mundi. Solvere quoque conatus eſt problema phyſicum, notiſſimum quidem ſed ſimul difficillimum, quaenam vera atque genuina (t) aeſtus marini cauſa ſit? Quam *Timaeus* imputare non dubitat fluminibus, quae ex *montibus Gallicis* in *mare Atlanticum* procurrentia, excurſu ſuo illud propellant atque augeant, rurſumque ſubſiſtentia retrahant atque diminuant. (u) De vitalitate partus ſeptimeſtris ita ſentit: Ab inhibitione menſtruorum, poſtquam conceptus eſt foetus, non decem, ſed novem cenſeri menſes. Atque ſic etiam ſeptimeſtria cenſeri, quae non ſunt, cùm aliquando mulier poſt conceptionem menſtruas ſuas purgationes patiatur. Vult ergò *Timaeus*, non omnem partum, qui ſeptimeſtris ha-

 betur

(s) *Plutarchus* Libro de animae procreatione ê Timaeo.

(t) Id. de plac. Phil. Libr. IV. Cap. XVII.

(u) Id. L. V. Cap. XVIII.

betur, talem revera eſſe, ſed ſaepius committi errorem calculi, dum plerumque conceptionis terminum mulierculae inchoare ſolent, quando menſtrua purgamenta emanſiſſe obſervant. Quod tamen indicium impraegnationis factae fallax eſſe, toto die loquitur experientia. Uti eandem hanc ſententiam totidem propemodum verbis ab *Ammanno Lipſienſi* adſertam eſſe, jam olim in Diſſertatione noſtra: *De Partu Octimeſtri vitali & legitimo*, allegavimus. Quae reliqua ejusdem placita ſive in phyſicis ſive medicis fuerint, non ſatis conſtat.

§. CXLII. Agmen *Pythagoricorum*, qui medicinam ſimul illuſtrârunt, claudit *Eudoxus*, *Aeſchini* filius, *Cnidius*, qui ſecundum (w) *Diogenis Läertii* teſtimonium *Philoſophus*, *Aſtronomus*, *Mathematicus* & *Medicus* fuit. Habuit verò inprimis in arte Medica Praeceptorem *Philiſtionem Siculum*, qui idem eſt cum eo, quem *Locrenſem* vocat *Plutarchus*, id quod etiam in notis ad hunc locum *La-*

(w) In ejus Vita.

Laertii ex *Athenaeo* adnotavit *Aldobrandinus*. Ut autem majores adhuc in arte ſalutari faceret progreſſus, unà cum *Theomedonte* medico conceſſit *Athenas*, ubi, cùm pauculos tantùm menſes ſubſtitiſſet, domum reverſus eſt, & amicorum quorundam liberalitate, cùm pauper eſſet, ſuffultus, cum *Chryſippo* Medico in *Aegyptum* contendit, ubi *Nectanabi*, *Aegyptiorum* Regi commendatus, intimius in Sacerdotum commercium admiſſus eſt ac proinde ſperatos fecit profectus. Ab iis proculdubio etiam hauſit, quae de ratione incrementi Nili annui apud (x) *Plutarchum* diſſerit: Ait enim, *Sacerdotes Aegyptios* totam rem imputare imbribus & oppoſitis temporum anni rationibus; Quando enim (ita pergit *Eudoxus*) apud nos aeſtas eſt, qui ſub aeſtivo habitamus Tropico, tùm iis, qui ê regione ſub brumae circulo degunt, hyemem eſſe, à quibus tùm exundans aqua prorumpat. De (y) ventis aliisq; tem-

(x) De plac. philoſ. Lib. IV. Cap. I.
(y) Id. Lib. II. Cap. XLVII.

tempeſtatibus ſingularem habuit opinionem; Omnium nempe easdem redire vices, quadriennio exacto, non modò ventorum, verùm & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. Caeterum floruit Olympiade CIII. & *Chryſippi*, cum quo peregrinationem in *Aegyptum* ſuſceperat, Praeceptor fuit.

§. CXLIII. Prater *Pythagoraeos* arti *Apollinaeae* ſedulam quoque navârunt operam alii aliarum ſectarum Philoſophi, quorſum inprimis referimus *Heraclitum* atque *Democritum*, quippe qui iisdem propemodum, quibus *Pythagoras* vixit, temporibus floruerunt. *Heraclitus* quidem, *Blyſonis* filius, (z) *Epheſius*, pauca

(z) Ita dictus ad differentiam reliquorum, qui idem nomen geſtârunt: Meminit enim Diog. Laert. Lib. X. quinque fuiſſe *Heraclitos*: Primum nempè hunc *Epheſium*, de quo loquimur. Secundum, *Poëtam Lyricum*; Tertium *Halicarnaſſeum*, Elegiarum Poëtam: Quartum *Leſbium* & Quintum *Citharoedum*. Eandem propemodum ſeriem *Heraclitorum* nobis offert *Johannes Albertus Fabricius* Bibliothec. Graec. Lib. I. Cap. I. num. III.

pauca dexteritatis ſuae in medendo ſpecimina dediſſe, quin potius medicos ſui temporis ludibrio expoſuiſſe videtur. Unde praeter Grammaticos nihil in mundo medicis eſſe ſtultius profeſſus eſt: Nihilominus tamen eôdem jure referri meretur inter Medicos, quô reliqui philoſopho-medici, de quibus hucusque diximus, & dicemus in ſequentibus.

§. CXLIV. Majori verò ſolertia Philoſophiae ſeſe adplicuit, cui, ut rectius & totis veluti viribus invigilaret, vitam elegit ſolitariam hominumque converſationi ſeſe ſubduxit, paucis contentus, aqua ſcil. & herbis ſponte naſcentibus, ex quo tamen tenuiſſimo vivendi genere in aquam intercutem, quem affectum aliâs Medici hydropem Anaſarcam vocant, ſeſe praecipitavit. A quò ut ſeſe liberaret, non conſuluit medicos; Hos enim cum arte ſua (a) ludi-

(a) Conſueverat *Heraclitus* medicos cum arte ſua ea, qua erat, arrogantia ſuperciliose contemnere; Quapropter ſciſcitabatur ex ipſis veluti per aenig-

ludibrio exponere decreverat: Sed ſtabulo boum ſeſe includebat, fimôque bubulo obruebat; Quia blando iſto calore noxium & exundantem humorem

ma: Num ex imbre poſſent ſiccitatem facere? Quod cùm nec intelligerent nec intelligere poſſent, ipſos contemtui habuit, atque deſeruit, ſicuti *Diogenes Laërtius* Lib. IX. ſegm. 3. refert. Id autem potisſimum ſua quaeſtione indigitare volebat *Heracletus*, an medici, quibus eam proponebat, ſerum ex vaſculis ſuis effuſum atque ſub cute reſtagnans educere & priſtinam denuò ſiccitatem corpori conciliare poſſent? Credebat enim, idem fieri in *Microcoſmo*, quod contingere obſervaremus in *Macrocoſmo*. Urinam in Veſica eadem ratione colligi, ſicuti pluviam in media aëris regione: Et ſicuti pluviae originem ſuam deberent exhalationibus, ex globo terraqueo adſcendentibus, quae tandem ventis ad ſe mutuò compulſae nubes excitarent: Ita quoque urina exurgeret atque colligeretur ex vaporibus, ex alimentis adſcendentibus inque Veſicam urinariam ſeſe inſinuantibus.

rem exhauriri poſſe arbitrabatur. Quae tamen curandi ratio exitum usque adeò infelicem habuit, ut ſupremum inde diem obiret; Sicque annum aetatis ſexageſimum agens, viribus exhauſtis, defecit.

§. CXLV. Phyſicas ejus hypotheſes quod attinet, illarum pleraeque admodum ſunt obſcurae, adeò ut etiam *Darius, Hyſtaſpis* filius, *Perſarum* Rex, in Epiſtola ad *Heracletum* data, conqueratur, librum, quem de natura ſcripſerit, eſſe obſcurum & explanatione egentem; Sed hiſce tamen non obſtantibus plurimis in locis adſenſum ſuſtinere. (b) Principium omnium rerum ignem eſſe perhibuit; Siquidem ex igne omnia naſcerentur, & in eundem etiam reſolverentur. Partes enim craſſiſſimas in ſe mutuò coëundo compoſuiſſe terram; Hanc deinde vi ignis laxatam aquam edidiſſe, & hanc denuò exhalando, aëri ortum praebuiſſe. Porrò etiam mundum & omnia

(b) Plut. de plac. phil. Lib. I. Cap. III.

omnia corpora igne conſumtum iri in conflagratione totius univerſi; Atque adeò ignem eſſe principium, ex quo exiſtant omnia & finem, in quem omnia recidant & reſolvantur. Habuit vero ea in re ſectatores quàm plurimos, qui *Heraclitii* ſive *Heraclitiſtae* ſucceſſu temporis adpellati ſunt, ſicuti *Pauſaniae* contigiſſe novimus: Imò conſtat inter omnes, eandem quoque hypotheſin in quôdam *Librorum Hippocraticorum* adprobari; Qui an *Hippocratis* genuinus an verò tantùm ſuppoſititius fuerit, hôc loco non diſquiremus. Placuit inſuper *Heracleto* (c) minima quaedam & diviſionem non admittentia ramenta introducere; Quae ſententia à *Democritea* & *Epicurea* vix differt, ſicuti paulò poſt enarrabimus.

§. CXLVI. Quae autem de natura corporum coeleſtium differit, prorſus aliena ſunt. Etenim magnitudinem ſolis latitudinem veſtigii humani vix excedere, inſigne viſus praejudicium eſt, ſtupenda illa altitudine, qua

(c) Id. Lib. I. Cap. XIII.

qua ſupra Horizontem noſtrum corpus ſolare elevatum eſt, longè aliud quid docente. (d) Stellas ali exhalationibus, ſurſum è terra evaporantibus, vel propterea vero ſimile haud videtur, quod effluvia cuncta, quotquot ê globo terraqueo vi ſolis educuntur, ad certam tantùm eamque exiguam diſtantiam elevata forment atmoſphaeram, ex qua deinde ſub variis ſchematibus denuò ad terram tanquam centrum ſuum relabuntur: Atque adeò vix probabile reddi poteſt, ad diſtantiam uſque adeò prodigioſam, quâ fixae elevantur, ut parallaxin vix admittant, evehi effluvia iſta poſſe. Et ſicuti figuram Solis ſubcurvam ſeu in ſcaphae formam efformatam eſſe fingebat: Ita inverſione corporis ſolaris, adeò ut cavum ſurſum, curvum vero deorſum oculis noſtris obvertatur, (e) eclipſin ſolarem fieri arbitrabatur. Solis inſuper (f) flammam eſſe quidem lu-

(d) Id. Lib. II. Cap. XVII.
(e) Id. Lib. II. Cap. XXIV.
(f) Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 10.

lucidiſſimam ac calidiſſimam, ſed comprehenſibili tamen diſtantia à nobis removeri: Reliqua verò aſtra à terra remotiora eſſe, atque eapropter minus lucere minusque calefacere.

§. CXLVII. Rectius naturam Lunae penetrâſſe videtur, dum eandem dixit (g) terram: Omnia enim lunae phaenomena, quae phaſes Aſtronomi adpellant, ſatis declarant, eam eſſe corpus opacum proprio lumine orbum, ac proinde terrae noſtrae ſimillimum, imò terram quandam: Caliginoſa vero nube contentam eſſe hanc terram, obſcurum eſt. Planè verò à veritate alienum, eodem modo affici Lunam, quo ſol afficitur. Alia enim ac diverſa ſunt phaenomena ſideris proprio lumine gaudentis, quale eſt ſol, alia verò Lunae, quae mutuatitiô tantum ſplendet. Huic praetereà adſcripſit figuram ſcaphae ſimilem, ſicuti & ſoli, quae proinde ſidera, cùm humidum exciperent vaporem, illuſtrari viderentur; Et clarius quidem ſol, utpote qui

(g) Plut. de plac. philoſ. Lib. II. Cap. XXV.

qui in puriori verſaretur aëre, obſcurius vero luna, quippe per turbidiorem aërem lata. Unde porrò, ſicuti de ſole jam anteà demonſtratum eſt, (h) lunae defectum ſeu eclipſin ſcaphae hujus inverſione fieri docet. Ejusdem indolis ſunt, quae de (i) viciſſitudinibus temporum anni, item de meteoris explicuit ſequentem in modum: Diem ſcil. ac noctem, menſes & annos, anniq; ſtatuta tempora, pluvias, ventos &c. fieri ſecundum evaporationes varias: Liquidam namque evaporationem in ſolis circulo inflammatam, conſtituere diem: Contrarium verò ubi obtinuerit, noctem efficere. Atque ex lumine calorem augeri, aeſtatemque perficere; Ex tenebris humorem abundare, unde oriatur hyems.

§. CXLVIII. Ipſam (k) animam ſeu mentem humanam ejusque indolem veram usque adeo obſuram eſſe dixit,

(h) Id. l. c. Cap. XXIX.
(i) Diog. Laert. Lib. IX. Segm. 10. & 11.
(k) Id. in Vit. Heraclet. Lib. IX. Segm. 7.

dixit, ut nunquam illa reperiri queat. Quod ſi de eſſentia animae, ſicuti apparet, intellexit, nihil docuit aliud, quam quod nuperrime in eruditiſſimo ſuo tractatu de intellectu humano docuit *Lookius*, Anglus. Si verò tantum de ejusdem facultatibus, verendum, ne evidenti experientiae contrarie locutus ſit *Heracletus* : Haec enim teſtatur, plerumque notiora nobis eſſe, quae in nobismetipſis eveniunt, obſcuriora vero, quorum cognitio ab extra demum ſenſuum externorum adminiculo ad nos derivatur.

§. CXLIX. Majori jure in medicorum claſſem referri meretur *Democritus* (l) *Abderites*, *Hegeſiſtrati* filius, qui circa 77. Olympiadem floruit, & toto animo Medicinae ſeſe adplicuit: Quem proinde in finem non ſolum in *Aegyptum* ad audiendos & frequentandos Sacerdotes, qui medicinam ſimul tractabant, ſed & in *Perſiam* ad *Chaldaeos* imò & *Aethiopiam* atque *Indiam* ad

G. m-

(l) Proinde diſtingnendus ab alio, qui ſtatuarius fuit & cujus mentionem facit Plin. Lib. XXXIV. Cap. VIII.

Gymnoſophiſtas contendit. Quibus itineribus omne ſuum, quod exiguum certè non erat, ſed centum talenta excedebat, patrimonium ita conſumpſit, ut reverſus in Patriam vix haberet, unde viveret. Scripſit non pauca (m) medicum argumentum ſpectantia, v. g. de humoribus, de natura humana, de peſte morbisque peſtilentialibus, de ratione victus ſeu regula medicinae, de febre, de his, qui è morbo tuſſi agitantur &c. Edidit & librum de viribus herbarum & ad magicam artem addiſcendam (n) *Plinio* teſte, peregrinationem in *Perſiam*, *Arabiam*, *Aegyptum* & *Aethiopiam* ſuſcepit. Scripſit etiam de lapide philoſophorum, qui hodieque tam anxiè quaeſitus, nec tamen adhucdum inventus eſt

(m) Vid. Divus. Laërt. Lib. IX. n. 46.
(n) Hiſt. Nat. Lib. XXV. Cap. II. & Libr. XXX. Cap. II. ubi ſic ait: Plenumque miraculi & hoc, pariter utrasque artes effloruiſſe, medicinam dico magicenque eadem aetate; Illam *Hippocrate*, hanc *Democrito* illuſtrantibus.

eſt, nec fortè unquam invenietur. Dicitur quoque *Democritus* remedium inveniſſe, quo (o) pulchri bonique & fortunati gignantur liberi, quod idem argumentum ſucceſſivis temporibus videmus tractaſſe *Janum Huartum*, Medicum *Hiſpanum* Parte IIda *Scrutinii Ingeniorum*, interprete *Aeſchacio Majori*. Dedit quoque nomen plantae, quam ille *pudicam*, alii vero *ſenſitivam* vocant, quia ad contactum digitorum folia ſua contrahit.

§. CL. Quemadmodum autem *Heracletum* Philoſophiae eò ſincerius excolendae cauſa ſolitudines quaeſiviſſe, & conſortium hominum evitaſſe vidimus:

(o) Idem *Plinius* Lib. XXIV. Cap. XVII enarrat nobis ſpecies, ex quibus compoſitum erat hoc medicamentum, ſequentibus verbis: Hermeſias ab eodem vocatur, ad liberos generandos pulchros bonosque, non herba, ſed compoſitio è nucleis pineae nucis, tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo, poſteà admiſto theobrotio & lacte, bibere generaturos jubet, & a conceptu puerperas, partum nutrien-

mus : Ita & *Democritus* ſapientiae amore (p) cellulam ſelegit eidemque ſeipſum incluſit. Celebriores ejusdem hypotheſes in phyſicis has fuiſſe ferunt : Omnium rerum principia eſſe atomos & inane : Illas magnitudine & numero eſſe infinitas & rotari, omnesq; concretiones gignere, ignem aërem, aquam, terram & reliqua. Easdem porrò ob ſummam ſuam ſoliditatem, diviſioni & immutationi obnoxias non eſſe. Eadem inſuper nec dulces, nec amaras, nec calidas, nec frigidas, nec albas nec nigras eſſe, nec de ulla alia qualitate participare, ſed relationem tantùm habere ad noſtros ſenſus, qualitates iſtas percipientes, utpote quae cùm à diverſa tantùm atomorum unione ſeu conjunctione orirentur, nihil in rebus ipſis fingi poſſet, quod vel dulce vel amarum &c. eſſet, ſed omnes iſtas qualitates eſſe tantùm relativas; quod idem propemodùm docuit *Carteſius*. (q) Mundos eſſe infinitos

 in in-

(p) Diog. Laert. Lib. IX. Segment. 36.
(q) Plut. de pl. phil. Lib. II. Cap. I.

in infinito, animae expertes, neque ulla providentia, ſed bruta quadam natura tantum adminiſtrari. (r) De ordine mundi ita philoſophatur *Democritus*, ut tunicam atq; membranam mundo in orbem circumtendat, quod cum conceptu infiniti, quem mundo paulo ante tribuit, vix conſiſtere poſſe videtur. Inquiſivit etiam in cauſam (s) incrementi Nili annui, quam à *Sacerdotibus Aegyptiorum* didiciſſe videtur, eamque putat refundendam eſſe in nives, in partibus ad ſeptentriones ſitis ſub ſolſtitium aeſtivum reſolutas atque diffuſas. Denſari proinde ex vaporibus nubes, quae verſus meridiem compulſae et ad *Aegyptum* ab eteſiis ventis in magnos ac vehementes diſſolvantur imbres, quibus poſteà cùm paludes tùm Nilus implerentur.

§. CLI Neque putandum, in ſolis tantùm ſpeculationibus ſcientiam naturalium *Democriti* occupatam fuiſſe aut ex libris adquiſitam, qualis plerorum-

(r) Id. Libr. II. Cap. VII.
(s) Id. Libr. IV. Cap. I.

rumque modernorum eſſe ſolet; Sed praxi potiſſimum & uſu rerum conſtabat. Non leve enim peritiae hujus practicae documentum eſt, quod, cùm aliquando *Hippocrates* ad ipſum veniſſet, (t) lac adferri juſſerit, quo inſpecto ſtatim pronunciavit, illud capellae primi partus ac praetereà nigrae eſſe. Quae certè res in admirationem non levem conjecit *Hippocratem*, imò ſtupore propemodum eundem occupavit, poſtquam puellam, *Hippocratis* comitem prima die virginem, poſtridiè verò mulierem ſalutavit: Statim enim puellam nocte illa virginitatem ſuam amiſiſſe cognoverat. Nec minoris momenti argumentum peritiae phyſicae nobis ſuppeditat hiſtoria de oleo olivarum coëmto, quam nobis refert (u) *Plinius* ſequentibus verbis: Ferunt *Democritum* primum intellexiſſe oſtendiſſeque cum terris coeli ſocietatem, ſpernentibus hanc curam ejus opulentis-

(t) Diog. Laërt in vit. Democrit. Lib. IX. Segm. 43.

(u) Hiſt. Nat. Lib. XVIII. Cap. XXVIII.

tiſſimis civium, praeviſa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, magna tum vilitate propter ſpem olivae, coemiſſe in toto tractu oleum, mirantibus, quod paupertatem & quietem doctrinarum ei ſciebant inprimis cordi eſſe. Atque ut adparuit cauſa, & ingens divitiarum curſus, reſtituiſſe mercedem anxiae & avidae Dominorum poenitentiae, contentum ita probaſſe, opes ſibi in facili, cùm vellet, fore.

§. CLII. Hiſce non contentus Philoſophus, ad rerum quoq; coeleſtium contemplationem animum & cogitationes ſuas elevavit: (w) Solem, ſiderum omnium Regem, dixit eſſe maſſam vel lapidem igne candentem: Atq; adeò cognovit quidem igneam eſſe ejusdem naturam, ſed ſimul ſolidam, lapidis candentis inſtar vel laminae ardentis; Quod tamen effatum & rationi & obſervationibus Aſtronomorum ê diametro repugnat: Illa enim docet, materiam ſolis omniumque fixarum ſummè

(w) Plut. de plac. Phil. Lib. II. Cap. XV.

mè non tantùm ſubtilem ſed & mobilem eſſe ac fluidam, uti ex prima ſiderum generatione manifeſtè liquet; Hae verò idem clarè demonſtrant: *Simon Marius* enim apud *Scheinerum* in *Roſa Urſina* teſtatur, ſe corpus ſolare tubo optico conſpexiſſe fervens, non aliter quàm aurum in fornace liquefactum. Et *Athanaſius Kircherus* refert, ſe ſolem tanquam mare igneum fluctibus aſperum & fluctuantibus undis criſpum conſpexiſſe. (x) Omnes ſtellas docuit moveri ab ortu verſus occaſum, quarumq; talis eſſet ordo, ut primò ſtellae fixae, deinde errones moverentur, & in his ſolem, luciferum, lunam. Hanc ſpeciatim dixit continere planities, montes atque convalles, quod & plerique modernorum adſerunt. Eſſe autem firmamentum ignitum, naturae corporum opacorum, quale eſt luna, repugnat. (y) Terram deniq;, quam in numerum Planetarum

(x) Plut. de pl. Phil. Lib. II. Cap. XVI. & XX.

(y) Id. Lib. III. Cap. XII.

rum pleriq; hodiè referunt, deſcribit, diſci figuram in ſuperficie habere, in medio cavam eſſe, & declinare verſus auſtrum: Cùm enim ambitus pars auſtrina ſit imbecillior, ideò terram mole auctam eò inclinare. Cauſam porrò terrae motuū aquae imputandam eſſe docet, eamque propriè non moveri, ſed tantùm concuti, Terram enim undiq; aequaliter diſtantem in aequilibrio veluti ſuſpenſam eſſe, indeque cauſam non ſubeſſe, cur hûc potius quàm illûc vergat. (z) De cometis denique eorumq; geneſi peculiaris eſt, quam foſvet, hypotheſis: Habet enim eosdem pro coitu duarum vel plurium ſtellarum, fulgorem ſuum conjungentium: Quod ſi verum eſſet, mirum merito videri poſſet, quare frequentius non oriantur Cometae?

§. CLIII. Ita ergò tàm de natura terreſtrium quàm coeleſtium ſenſit *Democritus*, in quô licet verùm ubique ad-

(z) Id. Lib. III. Cap. II.

adſecutus non ſit, multa tamen non contemnenda detexit. Graviſſimè omnium lapſus eſt in iis, quae tamen cuilibet natura notiora ſunt, indaganda ſcil. indole animae rationalis, de qua proinde quid ſenſerit, omnium optimè docere nos poteſt (a) *Plutarchus*: Eam ſcil. nihil eſſe aliud, quam compagem igneam partium, ſola mente perceptarum, quae formis ſint globoſis, vi ignea, ac denique corpus. Eam inſuper eſſe bimembrem, cujus altera pars, rationis quippe compos, in pectore ſita ſit, altera verò bruta, per totam corporis concretionem diffuſa. Omnia denique habere animam, ne ipſis quidem mortuorum cadaveribus exceptis; Eò quod perſpicuè ſemper aliquid caloris ac ſenſus obtineant, majori parte exſpirata. Ex hiſce verò omnibus quid ſequatur, promptè colligitur; Unde concludit, animam eſſe caducam & ſimul cum corpore interire.

§.CLIV.

(a) Id. Lib. IV. Cap. II. IV. & VII.

§. CLIV. Quae in *Phyſiologicis* ac *Pathologicis* fuerint ejusdem placita vix conſtat. (b) *Plutarchus* tamen teſtis eſt, defendiſſe ipſum nutritionem foetus in utero materno per os, quod problema adhuc hodiè in *Phyſiologorum* ſcholis frequenter & acriter agitari videmus, quibusdam nutritionem per os, aliis per vaſa umbilicalia eandem fieri, utrumque aliis defendentibus: Rationes utrinque prolatas invicem committere, propoſitum noſtrum hâc vice non patitur. Illud verò extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur, ridiculum prorſus eſſe argumentum, quo *Democritus* nutritionem foetus per os ſtabilire conatus eſt: Infantem ſcilicet, ſtatim atque natus eſt, ore ferri ad mammas; Nam & in utero eſſe ubera quaedam & oſcula, quibus alatur: Unde foetum iis adſuetum promptè ad mammas matris ferri, quàm primum ex arcto uteri materni ergaſtulo exitum tentavit. Rectius in

(b) de plac. Phil. Lib. V. Cap. XVI.

in cibis damnavit (c) rapum propter immenſas, quas parit, inflationes & murmura ventris. Non ineptè quoque judicavit, *coitum*, i. e. tempus illud, quo inter coëundum ſemen ſuum profundunt tàm maſculi quàm foemellae, *eſſe parvam* quandam *epilepſiam*: Mirae enim geſticulationes, quas in cöeuntibus obſervare licet, eſſe in actu venereo revera aliquid convulſivi vel epileptici, haud obſcurè probant. De ſignis morborum *Prognoſticis* ita judicabat, tantum abeſſe, ut medici certam de morte hominis adpropinquante prognoſin formare valeant, ut potius ne certi quidem eſſe poſſint, hominem revera mortuum eſſe. Singulare quoque ipſius & qui ab ejus ſecta ſunt, (d) judicium eſt de morbis peſtilentialibus, vel hactenus incognitis aut planè novis: Mundis ſcil. qui foris ſunt, pereuntibus, corporibusque a-

 lieni-

(c) Plin. hiſt. Nat. Lib. XX. Cap. III.
(d) Plut. Sympoſias. Lib. IX. quaeſt. X. Fierine poſſit, ut propter cibos novi exiſtant morbi?

lienigenis inde hûc defluxu quodam perlatis, ſimul incidere principia ſaepè peſtilentiae & morborum ignotorum.

§. CLV. Ex hiſce verò omnibus ideam morum aeque ac ſtudiorum *Democriteorum* formare licet atque judicare, ſtultos potius fuiſſe *Abderitanos*, ejusdem populares, qui *Democritum* continuò ridentem obſervantes, eumque propterea fatuum credentes (e) *Hippocratem Coum* ad eum ſanadum evocârunt, qui eundem in ſectionibus diverſorum animalium anatomicis occupatum deprehendens, ſtatim quaeſivit, quare id faceret, nihilque aliud reſponſi loco tulit, quam indagandae cauſae inſaniae, quam tanquam effectum bilis conſiderabat, id fieri: Ex quo mox cognovit *Hippocrates*, *Democritum* non eſſe fatuum ſed hominem ſapientiſſimum, ſuaque proinde opera medica non indigere; Stultitiam verò hominum eſſe cauſam, quare continuò ride-

(e) Vid. Epiſtolas operibus *Hippocratis* adnexas.

rideret? Hinc & *Juvenalis* ipſi hoc praebet teſtimonium, quod, etiamſi in craſſo aëre natus ſit, jure tamen vir magni nominis haberi mereatur:

Tunc quoque materiam riſus invenit ad omnes
Occurſus hominum, cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros & magna exempla daturos
Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.
Ridebat curas hominum, nec non & gaudia vulgi
Interdum & lacrymas, cum fortunae ipſe minari
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Imò & nos in Curis noſtris ſecundis quondam ſic de eo luſimus:

Democritus *curas hominum ridebat inanes,*
Queîs hîc mortales miſeri ſua pectora torquent;

Con-

lienigenis inde hûc defluxu quodam perlatis, ſimul incidere principia ſaepè peſtilentiae & morborum ignotorum.

§. CLV. Ex hiſce verò omnibus ideam morum aeque ac ſtudiorum *Democriteorum* formare licet atque judicare, ſtultos potius fuiſſe *Abderitanos*, ejusdem populares, qui *Democritum* continuò ridentem obſervantes, eumque propterea fatuum credentes (e) *Hippocratem Coum* ad eum ſanadum evocârunt, qui eundem in ſectionibus diverſorum animalium anatomicis occupatum deprehendens, ſtatim quaeſivit, quare id faceret, nihilque aliud reſponſi loco tulit, quam indagandae cauſae inſaniae, quam tanquam effectum bilis conſiderabat, id fieri: Ex quo mox cognovit *Hippocrates*, *Democritum* non eſſe fatuum ſed hominem ſapientiſſimum, ſuaque proinde opera medica non indigere; Stultitiam verò hominum eſſe cauſam, quare continuò ride-

(e) Vid. Epiſtolas operibus *Hippocratis* adnexas.

rideret? Hinc & *Juvenalis* ipſi hoc praebet teſtimonium, quod, etiamſi in craſſo aëre natus ſit, jure tamen vir magni nominis haberi mereatur:

Tunc quoque materiam riſus invenit ad omnes
Occurſus hominum, cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros & magna exempla daturos
Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.
Ridebat curas hominum, nec non & gaudia vulgi
Interdum & lacrymas, cum fortunae ipſe minari
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Imò & nos in Curis noſtris ſecundis quondam ſic de eo luſimus:

Democritus *curas hominum ridebat inanes,*
Queîs hîc mortales miſeri ſua pectora torquent;

Con-

Contra Heracletus *eos lacrumis deflebat amaris;*
Quod cuncta alternis vicibus mutata videret.
Deſipuit Neuter? Sed cur ridentur ab illis,
Qui nec deplorant nimis haec incommoda vitae,
Nec nimio faſtu turgentes ſingula rident?

Tandem verò vitae pertaeſus (f) ex ſenio defecit, & morti jam propinquus, moerentem videns ſororẽ, quod illo in celebritate *Cereris* morituro, ipſa DEAE vota exſolvere non poſſet, bono animo eandem eſſe juſſit, panesque calidos quotidiè ſibi adferri, quos cùm naribus ſubinde admoviſſet, vivum ſeſe, donec celebritas iſta tranſiiſſet, ſervavit. Iis verò elapſis quietiſſimè ac minimo dolore centeſimo nono aetatis ſuae anno vitam ſuam concluſit.

§. CLVI. *Democrito* meritò ſubjun-

(f) Diog. Laërt. Libr. V. Segm. 48.

jungo (g) *Diagoram*, (h) *Melium* non *Mile-*

(g) Cùm plures fuerint *Diagorae*, ſedulò cavendum, ne alterum cum altero confundamus; Diſtinctus à *Melio* noſtro eſt, qui à patria *Cyprius* cognominatus eſt, pariter *Medicus*, qui de rebus hortenſibus ſcripſit, laudatus propterea *Plinio* ac *Dioſcoridi* Libr. IV. Non adparet autem, cur *Clericus* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. VI. hunc *Cyprium* eundem eſſe credat cum *Melio*, cum diverſam habuerit Patriam *Cyprius* Medicus, *Melius* verò philoſophus & medicus ſimul fuerit. Non enim ſufficit unum venditare pro altero, quod *Melius Democriti* ſervus & auditor, atque adeò praeter philoſophiam ipſam quoque Medicinam excoluerit, quod ultimum etiam praedicavimus de *Cyprio*. Ambo diſtinguendi ſunt à *Diagora*, cui *Eretrienſes* ſtatuam poſuere, de quo *Ariſtoteles* V. 6. de Republica & *Heraclides* de *Eretrienſium* Politia. Denique ab hiſce omnibus diſtinctus eſt *Rhodius*, victor *Olympicus*, qui virilem pugilum palmam meruit, de quo *Pauſanias* Eliacor. poſteriore Cap. VII. loquitur.

(h) Perperam pro *Melius* nonnulli ſcri-

Mileſium, ejudem (i) ſervum, quem tamen vix alio argumento probaverimus, medicum fuiſſe, quàm quod Democriti ſervus & auditor fuerit. Plerique eundem inter Atheos referunt, & fortè non injuria, licet non ignotum ſit, multis optimis Viris atheiſmi notam praeter omne meritum inuſtam fuiſſe. (k) *Plutarchus* diſertè enunciat, *Diagoram*, DEOS eſſe, negaſſe. (l) *Diogenes Laërtius* aliud ejus rei argumentum adfert: Admirante enim quodam ea, quae in *Samothracia* ſunt Donaria; (m) Longè, inquit, plura eſſent, ſi &, qui

bunt *Mileſius*; Patria enim hujus *Diagorae* fuit inſula *Melos*, quae eſt una Cycladum; non verò Miletum, ſicuti nonnullis ſcribere placuit. Interim diverſam hinc ſcriptionem ex compendio Mlios factam ſuſpicatur Jean le Clerc. part. II. Art. Critic. p. 209.

(i) Vid. Suidae Lexicon.

(k) De plac. Phil. Lib. I. Cap. VII.

(l) In vita Diog. Cynic. Lib. VI. Segment. 59.

(m) *Laërtius* quidem loco modo allegato haec verba *Diogeni Cynico* tribuit; Addit tamen, eſſe alios, qui *Diagorae Melio*

qui ſervati non ſunt, ea dedicaſſent. *Ariſtophanis Scholiaſtes* adjicit, ſe, cùm aliquando in diverſorio publico lignorum defectum obſervaſſet, ſtatuam *Herculis* ligneam in angulo quodam ſtantem apprehendiſſe & ollae ad coquendas carnes admoviſſe, lepidè dicens: Age *Hercules*, te oportet hodiè coquinae noſtrae inſervire; Atque hic erit decimus tertius & ultimus tuus labor. Coeperat autem de providentia divina dubitare ex eo potiſſimum capite, quod certam pecuniae ſummam alicui tradiderat in depoſitum, qui poſteà reddere eandem, ſicuti debebat

eadem adſignent, inter quos non poſtremum locum tuetur *Cicero* de nat. DEor. Lib. III. qui disertè haec verba tribuit *Diagorae*: Ita enim inquit: *Diagoras* quum *Samothraciam* veniſſet, atheos ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, Tu, qui DEOS putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi effugerint: Ita fit, inquit, illi enim nusquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt in marique periêrunt.

bebat, recuſabat. Hinc ergò concludebat, ſi DEUS eſſet & providentia aliqua divina, puniturus foret malos ac praecipuè perjuros: Quotidianam autem experientiam loqui, malis plerumque benè, bonis malè eſſe: E. nullam eſſe providentiam, nullum DEUM. Videmus autem, eandem quaeſtionem multos alios non minoris famae Philoſophos ab omniuſq; tempore exercuiſſe, an & quare DEUS viris bonis aliquid mali evenire patiatur? Unde & ipſe *Seneca* hanc qnaeſtionem in Libro de providentia, ſeu, quare viris bonis mala accidant, cùm ſit providentia, ſibi pertractandam ſumſit. Sunt igitur, qui *Diagoram* (n) excuſant, & ab atheiſmi cri-

(n) Mirandum, ex Chriſtianis ipſis fuiſſe, qui *Diagoram*, cui tantùm non omnes atheiſmi crimen impingunt, excuſandum eſſe exiſtimaverint; Quod ipſum feciſſe ex recentisſimis ſcriptoribus videmus *Arnoldum* Apologiae Haereſium Part. II. p. 598. Unde etiam nonnulli haereticorum omnium haereſiarcham per contemptum ipſum adpellare non verentur. Videtur au-

crimine liberare moliuntur, jure ne an injuria, judicent, per me licet, alii.

§. CLVII. Quod hypotheſes ejus tàm phyſicas quàm medicas attinet, de illis altum ubique eſt ſilentium. Sed alterius, quem *Cyprium* communiter adpellant, *Dioſcorides* aeque ac *Plinius* frequentem mentionem injiciunt. (o) *Dioſcorides* inprimis refert, quod infenſiſſimus Opii & opiatorum hoſtis fuerit, & quod ſecundum ea, quae ſcribit *Eraſiſtratus*, Uſum remediorum ex opio paratorum, in totum damnaverit in oculorum lippitudine, & in aurium vitiis infundi providè vetuerit, quoniam viſum mirificè debilitaret, & periculoſum ſoporem organis infunderet; Quod idem etiam de *Diagora* refert (p) *Plinius*. Unde liquet, jam iſtis temporibus aliquid ſuboluiſſe Practicis de multiplici opiatorum in praxi abuſu.

 Ut

tem *Diagoras* divinitatem nimis manifeſto expoſuiſſe ludibrio, quàm ut ullam mereatur excuſationem.

(o) Lib. IV. Cap. LXV.

(p) Hiſt. Nat. Lib. XX. Cap. XVIII.

Ut juſtiſſimas habuerit cauſas *Stahlius*, integrum commentarium de impoſturis Opii, ſive, ut commodè titulus explicari poteſt, de Impoſtoribus, Opiô indiſcriminatim in praxi utentibus vel potius abutentibus & miſeros aegrotantes turpiter defraudantibus, concinnandi.

§. CLVIII. In eadem haec tempora incidit quoque *Acron Agrigentinus* (q) *Sectae*

(q) Ita nos docet *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XXIX. Cap. I. quando ita inquit: Alia factio ab experimentis ſe cognominans *Empiricen*, coepit in Sicilia, ab *Acrone Agrigentino*, *Empedoclis* Phyſici auctoritate commendato. *Clericus* Part. I. Lib. II. Cap. VII. Hiſt. Med. putat, *Plinium* falli in eo, quod *Acronem Sectae Empiricae* auctorem atq; principem conſtituat; Quod medici illius aetatis nondum tanquam ſectarii conſiderari potuerint: Nam quamvis methodus iſta empirica medicinam tractandi antiquisſima ſit, quam plerique ante *Acronem* medici, Philoſophis exceptis, exercuerint: Nefas tamen eſſet, primos illos medicos conſiderare tanquam ſectarios:

Sectae Empiricae auctor atque fundator, utpote qui *Empedoclis*, cujus hiſtoriam ſuprà exhibuimus, coaetaneus fuit. Patrem habuit *Xenonem* eandemque cum *Empedocle* Patriam, *Agrigentum* nempè *Siciliae*. Repudiatis Philoſophorum ſpeculationibus, quae magna hucusque fertilitate in ipſa medicinae ſacra irrepſerant, aliam planè viam ingreſſus eſt, & ſoli experientiae primatum eſſe deferendum, acriter contendit. Hic empiricorum princeps ea fuit arrogantia, ut (r) *Medicorum Excellentiſſimum* ſeſe adpellare non dubitaret, ab *Empedocle* eapropter graviter illuſus:

Adeoque hanc Sectam longo demum tempore poſt *Acronem* ſuas habuiſſe origines. Quid autem vetat, Acronem tanquam *Sectae empiricae* auctorem ac principem conſiderare? Cùm videamus inter Philoſophos jam multas ea tempeſtate Sectas floruiſſe: Si autem Sectis diviſi inter ſeſe mutuò fuère Philoſophi, cur idem non debuiſſet contingere in Medicica?

(r) Diog. Laërt in vit. Empedocl. Lib. VIII. Segm. 65.

Cùm enim *Acron* iſte locum ad conſtruendum paternum monimentum à Senatu poſtularet, *Empedocles* prohibuit, illumque, poſtquam de aequalitate (proculdubio inter medicos ſervanda) multa diſſeruerat, rogare coepit: Cujusmodi monimento incidemus elogium? Num hoc?

Ἄκρον ἰητρὸν Ἄκρων' Ἀκραγαντίνων πατρὸς Ἄκρου
Κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.

J. e.

Acronem ſummum medicum ex Agragante profectum
Qui ſummo in Patriae culmine habet tumulum.

(s) *Plutarchus* de ipſo refert, quod *Athenis*

(s) Libro de *Iſide & Oſiride*, qui locus integer, ibi Graecus hic latinè verſus, transferri meretur. Medici, inquit *Plutarchus*, cenſent, adverſus peſtem remedio eſſe copioſam flammam, utpote quae aërem attenuet; Hoc autem fit rectius, ſi odorata ligna urantur, ut cupreſſi, juniperi, piceae. Et *Acro* Medicus *Athenis* tempore magnae peſtis gloriam ſibi

thenis tempore magnae peſtis magnam ſibi gloriam comparaverit, jubendo ignem pone aegrotantes (Clericus dicit, *in omnibus plateis*, quod tamen in graeco textu non reperitur) accendi; Quandoquidem hoc remedii genus non paucos juverit: Et rationem ejus rei hanc allegat, quod flamma aërem attenuet atque reſolvat; Idque fieri eò rectius ac certius, ſi oderata ligna, ut cupreſſi, juniperi, piceae &c. comburantur. Neque verò novum erat *Acronis* tempore illud remedii genus, ſed jam diu ante à *Sacerdotibus Aegyptiis* cum fructu commendatum. Imò probabile eſt, quod adſerit (t) *Mercurialis*, ipſum ſcil. *Hippocratem Coum* ab eodem *Acrone* hoc remedium accepiſſe, crebrisque accenſis ignibus univerſam Graeciam truculentiſſima peſte mirè vexatam ac devaſtatam liberaſſe. Et quis rerum, noſtro prohdolor tempore geſtarum, usque adeò ignarus eſt, qui

paravit, jubendo ignem pone aegrotantes accendi: Nam juvit non paucos.

(t) Variar. Lect. Libr. II. Cap. XVIII.

neſciat, felici cum ſucceſſu idem quoque Remedii genus multis in locis in & extra Germaniam adhibitum eſſe.

§. CLIX. *Apollonides*, medicus *Cous* arte ſua, quam profitebatur, turpiter abuſus, dignum laboribus ſuis praemium tulit. Refert enim *Cteſias* de rebus Perſicis, *Amytin*, viduam *Megabyſis*, filiam *Xerxis* & *Artaxerxis Longimani* ſororem, coepiſſe morbo quodam laborare, de quo tamen, etſi funeſtius quid portendere non videretur, conſuluit *Apollonidem*, Aulae iſtius medicum tunc temporis ordinarium. Hic verò inclinationi foeminae callidè inſerviens, eidem perſuaſit, malum, quo laboraret, hyſtericum eſſe, cui alia ratione ſuccurri non poſſet, quàm exercitio venereo, cujus proinde miniſtrum ſemetipſum offerebat. *Amytis* aegrotans, veneri jam antea dedita, quod Medicum latere non poterat, non diu reluctata, ſed corporis ſui medicum mox admiſit, qui, ut cogitari facilè poteſt, etſi ſuo quidem officio non deeſſet, ſperatum tamen inde effe-

ctum

ctum non vidit, ſed corpus aegrotantis in dies magis emaciari & vires magis magisque exhauriri obſervavit. Quod proinde ſubolfacient Medicus & pejora adhuc metuens commercio impudico valedixit eamque viſitare deſiit, adeoque principi libidinoſae moram conceſſit ſtultitiam ſuam deplorandi. Haec interim totum rei geſtae negotium defert ad matrem ſuam, quae cognita facti veritate, graviter contra *Apollonidem* irritata ad ſupplicium eundem condemnavit, ſicque medicus noſter corporis, qui magno artis ſuae dedecore tàm turpiter deliquerat, integrum duorum menſium ſpatium continuis tormentis crudeliter excarnificatus eodem die, quo *Amytis* mortua, vivus ſepultus eſt. Atque haec fortaſſis ratio fuit, quare ſucceſſivis temporibus iſta Medicorum protervia atque laſcivia legibus conſtringenda fuerit, ut, quibus Doctoris dignitas publica auctoritate confertur, ſanctè & ſolemni juramenti formula promittant, ſe praxin facturos & ad foeminas in-

 gres-

greſſuros, nullum alium, niſi curandi ſcopum ſibi praefixum habere velle.

§. CLX. *Aegimius* (u) *Galeni* teſtimonio primus de pulſibus ſcripſit, ſaepius eapropter ab ipſo citatus. Dubia eſt aetas ejus, quam tamen *Hippocratis* tempora ſuperare, ex titulo libri de palpitationibus, ſeu, quod idem eſt, de pulſibus, conjicere licet. Prius autem, quam ad *Hippocratem* ejusque ſyſtema evolvendum progrediamur, quorundam adhuc medicorum mentio facienda eſt, quorum hinc inde meminit *Plutarchus*, quique aut *Hippocratis* contemporanei fuêrunt, aut paulò ante ejus aetatem vixerunt. Huc pertinet (w) *Philiſtion Locrenſis*, quem (x)

(u) De different. puls. L. IV.

(w) Non eſt dubium, hunc *Locrenſem Plutarchi*, quem eodem quoque nomine *Athaeneus* Lib. III. *Locrum* adpellat, eundem eſſe cum eo, quem *Diogenes Laertius* loco allegato *Siculum* vocat: Etiamſi enim *Locrum* oppidum non ſit in *Sicilia*: Attamen non procul etiam inde abeſt: Hincque nihil repugnat, eundem & *Locrenſem* & *Siculum* vocari.

(x) *Diogenes Laërtius Siculum* vocat, & *Eudoxi* in medicina praeceptor fuit. Ejusdem tanquam viri, qui in arte medica magnam ſibi famam adquiſiverat, meminit quoque (y) *Plutarchus* ſequentibus verbis: Teſtem voco *Philiſtionem Locrenſem* atque *Dioxippum*; Il enim non aliam viam ab ore enarrant, quàm quae à *Platone* indicata. Neque verò illam tanto honore dignatam epiglottiden ignoravit *Dioxippus*, ſed ad eam ait humorem in deglutiendo ſecerni in arteriamque delabi, devolvente ſe in ſtomachum cibo, & in arteriam ſanè nihil eſculentorum incidere. Et porrò Epiglottidem ait arteriae praepoſitā eſſe veluti ſepimentum & penu, ut ſenſim paulatimque potum percolet, ne ſubitò infuſus ſpriritum ſupprimat aut turbet. Itaque etiam aves carent epiglottide: Non enim hauriunt aut lambunt potum, ſed roſtris immerſis paulatim eum in arteriam *demittunt & ſic eam rigant.* Adeoque cre-

 didit,

(x) In vit. Eudoxi Libr. VIII. ſegm. 86.
(y) Sympoſiac. Libr. VII.

didit, partem potulentorum in arteriam aſperam & conſequenter pulmones tranſire. Nullus quoque dubito, eundem eſſe, quem (z) *Plinius* citat, quique ſuccum braſſicae ex lacte caprino cum ſale & melle exhibuit opiſthotonicis. Idem refert de eodem, quod ſtaphilinum ſive paſtinacam in lacte decoquere & radicis uncias quatuor ad ſtranguriam exhibere conſueverit; Ex aqua verò hydropicis, ſimiliter & opiſthotonicis & pleuriticis & comitialibus eandem commendaverit. Caeterùm reſpirationem dixit inſervire ventilando calori naturali, nonnullasque quatuor qualitatum primarum, humiditatis ſcil. ſiccitatis, caliditatis & frigiditatis habere ſeſe active, nonnullas verò paſſivè. Docuit & modū praeparandi carnes, & *empiricae ſectae* addictus fuiſſe creditur, ſicuti ex (a) *Galeno* conſtat.

§.CLXI. Quid verò vetat *Antiphontem, Sophili*

(z) Hiſt. nat. Lib. XX. Cap. V. & IX.
(a) De ſubfiguratione Empirica.

Sophili filium (b) *Rhamnuſium*, quem aliâs Rhetores ſibi vendicant, hûc referre? Hic poſteaquam Oratoriae atque Peëticae animum adplicuerat, & civibus quibusdam id petentibus primus orationes, quibus cauſas ſuas in judicio tuerentur, ſcripſerat, & primus quoque artis oratoriae praecepta ediderat, ad excolendam artem medicam ſeſe convertit. Cùm enim ingenio eſſet promtus & artem explorandi motus & inclinationes animi aliorum apprimè calleret τέχνην ἀλυπίας, artificium ſolandi triſtes ſeu artem dolorum animi abolendorum, qualem medici curationem aegrotantibus ſaepius promittunt, profeſſus eſt. Quam ob cauſam *Corinthi* pone forum tabernam publicam exſtruxit, promittens, ſe eos, qui in moerore eſſent, verbis ſublevaturum; Quod & praeſtitit. Auditis enim aegritudinum cauſis conſolatus eſt aegros. Quis autem credat, ſolis verbis hoc factum eſſe? Nonnunquam

(b) Subdubitare videtur *Fabricius* Bibliothec. Graec.

quam enim aegritudo animi & melancholia à cauſa purè corporea & certa humorum temperie dependet, quam ſanè ſola arte oratoria curare vix potuiſſet, niſi & remedia phyſica ſimul in ſubſidium vocaſſet. Quantacunque interim fuerint ejusdem merita, proditionis tamen accuſatus, damnatus, ejusque cadaver inſepultum abjectum & ipſe cum univerſa poſteritate inter infames relatus eſt. Alibi tamen aliam mortis ejus rationem adferre videtur (c) *Plutarchus:* Eum nempè *Syracuſas* navigaſſe, vigente tum *Dionyſii prioris* tyrannide; Ibi cùm in vino agitaretur quaeſtio, quodnam aes optimum eſſet? Diverſis diversè reſpondentibus, ipſum dixiſſe ferunt, id aes optimum eſſe, ê quo ſtatuae *Harmodio* & *Ariſtogitoni* eſſent factae: Id tyrannum, cùm audiviſſet, quaſi exhortationem ad ſe inſidiis petendum excepiſſe, ac juſſiſſe interfici *Antiphontem.*

§. CLXII.

(c) Lib. de adulatoris & amici diſcrimine.

§. CLXII. Praeter hunc *Plutarchus* in Convivio ſeptem ſapientum introducit quoque *Anacharſidem*, tanquam in porticu ſedentem, ſtante ante ipſum puella, caeſariem ejus manibus pectente, quae fuit formoſa ac ſapiens *Eumetides*, quam à Patris nomine vulgò *Cleobulinam* vocant: Haec magna non solùm aenigmatum peritia & ſapientia illuſtris fuit, ſed & ab *Anacharſide*, multarum rerum gnaro, rationem victus & purgandi, qua in aegrotis curandis *Scythae* utuntur, didicit. Si verò *Anacharſis* docuit *Cleobulinam* artem medicandi *Scythis* uſitatam, nihil manifeſtius eſt, quàm illum ipſum in eadem verſatum fuiſſe. Habuit enim Patrem (d) *Scytham* (unde & *Anacharſis Scytha* vulgò audit) matrem verò *Graecam*, & fratrem *Scytharum* Regem; Quare etiam utriuſque Linguae peritus fuit. Dicitur quoque primus *Scytharum* gentem uſum rotae figulinae docuiſſe: An verò idem artificium Graeci ab eodem hauſerint, alii negant.

§. CLXIII.

(d) Diogen. Laert. Lib. I. Segm. 101.

§. CLXIII. Pertinent hûc nonnulli medici, quorum ſubinde meminit *Galenus*, uti eſt *Phaeon* ſive *Phaon*, *Ariſton*, *Philotas* & alii. *Phaeon* vix aliter quàm nominetenus innotuit. *Ariſton* creditur eſſe auctor libri de diaeta, qui operibus *Hippocratis* vulgò accenſetur, quod idem à nonnullis tribuitur *Philetae*. *Aceſias* praxin quidem medicam exercuit, ſed ſucceſſu usque adeò infelici, ut, quò majorem aegrotantium ſuorum curam gereret, eò majora malum incrementa caperet; Ut in proverbium tandem abierit: *Aceſias ipſum curavit*. *Plato* in *Phaedro* meminit alicujus *Acumeni*, qui *Socratis* amicus erat, de quo tamen, quae ejusdem placita fuerint, nihil conſtat, praeterquam quod deambulationes in libero aëre factas ad ſanitatem conſervandam multò ſalubriores judicaverit iis, quae in porticu & locis concluſis peraguntur. Rationem ejus rei hanc dedit *Mercurialis* in *arte Gymnaſtica*: Quia, ubi liberior exiſtit aër minusq; conſtipatus, corpora in ipſo exercitata agiliora

ora ac vividiora redduntur, quàm ſi in craſſo, denſo & concluſo exercerentur. Atq; hinc eſt, quod inter loca deambulationibus deſtinata *Vitruvius* & *Cornelius Celſus* magis hypaethron commendarunt, quàm porticus & hypogeum. *Archidamus* quoque ad haec tempora pertinet, de quo *Diocles* apud *Galenum* refert, quod crediderit, oleum, ſi quis poſt balneum eodem ſeſe inungeret vel fricaret, cutem indurare & veluti comburere, quod oleum fricando incaleſceret; Quapropter frictiones ſiccas iſtis oleoſis longè praeferendas eſſe concludit. Similiter *Erixymachus* à *Platone* citatus hujus loci eſt, cujus ſyſtema hûc fere redit: Totam medicinam in ſympathia quadam conſiſtere, & mutua contrariorum, calidi ſc. ac frigidi, humidi & ſicci, dulcis & amari conciliatione; Sicuti enim ex ſonorum, ſua natura diſſonantium, mutuo concentu tandem dulcis quaedam harmonia exurgeret: Ita & medici officium in eo potiſſimum conſiſteret, ut humores corporis, ſuâ

licet

licet indole admodùm differentes, ad mutuum quendam conſenſum reduceret. Praeter ſuccinctam hanc theoriam pauca ſunt, praxin concernentia, quae nobis de *Erixymacho* innotuêre. Tria tamen propoſuit media à ſingultu ſeſe liberandi, ſcil. vel halitum diutius retinere, vel aqua fauces diligentius eluere vel ſternuationem excitare.

§. CLXIV. *Leucippus* hîc omittendus non eſt: Quamvis enim pauca ſuperſint, quae argumentum medicum ſpectant; Eodem tamen jure huic claſſi adnumerari meretur, quo reliqui Philoſopho-medici, de quibus hucusque diximus & adhuc plura dicemus in ſequentibus. Erat autem *Leucippus*, cujus patria incerta, *Zenonis* auditor, & *Democriti* praeceptor, atque adeò circa eadem illa tempora floruit. Principia rerum, teſte *Cicerone* in *Lucullo*, credidit eſſe *Plenum & inane*; Quae adſertio prima fronte manifeſtam iuvolvere videtur contradictionem: Nam quod plenum eſt corpori-

corporibus, non poteſt propriè dici inane. Obſervandum autem, *Leucippum* inane eo modo poſuiſſe, quo *Democritus*, corporibus ſcil. interjectum, non verò ab iisdem ſeparatum. (f) Mundos itaque ortum duxiſſe porro adſeverat, corporibus in magnum illud inane incidentibus ſibique mutuò implicitis. (g) Atomos ſeu corpora ſectionem non admittentia dixit multitudine infinita; Inane autem magnitudine infinitum. Et ſicuti (h) terrae figuram tympani adſcripſit; Ita mundo (i) in orbem tunicam quandam atque membranam circumtendit, prouti ſuperius de *Democrito* obſervatum eſt. (k) De inclinatione verò terrae ita ſenſit: Eam vergere magis verſus partes auſtrinas ob iſtarum raritatem; Siquidem concretis ob gelu partibus, ad ſeptentrionem vergentibus, oppoſitae interim arderent.

(f) Diog. Laërt. Lib. IX. Segment. 30.
(g) Plut. de pl. Phil. Lib. I. Cap. XVIII.
(h) Id. Libr. III. Cap. X.
(i) Id. Libr. II. Cap. VII.
(k) Id. Lib. III. Cap. XII.

§. CLXV. Phyſiologica *Leucippi* pauca quidem ſunt, ſed tamen omni ex parte non contemnenda. (l) Senſum & intelligentiam munus ſuum obire adſeruit, viſis imaginibus ſeu ſimulacris rerum foris oblatis; His autem non accidentibus, neutrum iſtorum quicquam moliri. (m) Somnum inſuper adfectionem ſolius corporis eſſe dixit: Cùm verò ob tenuitatem partium plus juſtò animati caloris excerneretur, mortem effici. Semen corporeum quidem exiſtere rectè agnovit; Eſſe tamen ſimul aliquid ab anima avulſum, adeoq; animae partem, priori adſerto non videtur conſentire. Caeterùm reliquit opus phyſicum, ex quo procul omni dubio excerpta ſunt placita, quae in *Diogene Laërtio* & *Plutarcho* leguntur, & hûc bonam partem à nobis translata ſunt.

§. CLXVI. Ut verò ad *Hippocratem* nunc propius accedamus, paucis adhuc

(l) Id. Libr. IV. Cap. VIII.
(m) Id. Lib. V. Cap. XXV.

adhuc videbimus, quas medicinae innovationes intulerit ejus praeceptor *Herodicus*, qui medicinam, quam *Gymnaſticam* ſolemniter adpellare conſuevimus, primus auctor fuiſſe creditur, qua & ad ſanitatem praeſentem conſervandam & amiſſam reſtituendam jubebantur tàm ſani quàm aegrotantes corpora ſua variis modis exercere, idque nonnunquam proſpero nonnunquam verò infelici ſucceſſu, quod etiam *Hippocrates* variis in locis confiteri non erubeſcit. Fuiſſe autem hunc *Herodicum Selimbrianum* (erat autem *Selymbria* urbs *Thraciae*) (n) *primum*, qui

(l) Id. Libr. IV. Cap. VIII.

(m) Id. Lib. V. Cap. XXV.

(n) Nemo hic contradictionis nos arguat ex eo potiſſimum capite, quod ſuperius de *Aeſculapio Graecorum* adſeruerimus, ipſum aegrotantibus primum medicinam Gymnaſticam, ſucceſſivis temporibus tantoperè celebratam, commendaſſe, idque inprimis teſtimonio *Galeni*, qui *Aeſculapio* id diſerte tribuit, quod non paucis venationes, equitationes &c. injunxerit, alios armatos ex-

Athleticam medicinae adjunxit, teſti-
mo-

ercitari juſſerit, iisdemque ſtatim tùm motuum ipſorum ſpeciem, utique quibus motum injunxit, tùm armorum, quibus armatis exerceri praecepit, definiverit: Unde concludere quis poſſet, nos apertè nobismetipſis contradixiſſe, cùm *Herodicum* primum *Medicinae Gymnaſticae* inventorem hîc venditemus. Verùm enim verò licet de *Aeſculapio Graecorum* ſuperius praedicaverimus, quod exercitiorum variorum corporis utilitatem primus agnoverit; Nunquam tamen de eodem adſeruimus, quod *Gymnaſticam* tunc temporis adhuc rudiorem in formam artis redegerit, quod tamen ſucceſſu temporis factum fuit ab *Herodico*, quippe qui *Gymnaſticam*, quam hactenus vel divertendi tantùm populi vel corporis agilioris reddendi vel praemii adquirendi gratia inſtituebant, ulterius extendebat, & non ſolummodò ad ſanitatem corporis praeſentē conſervandam, ſed & eandē amiſſam reſtituendam eam commendabat. Similiter opponi nobis non poteſt exemplum *Medeae*, quod pariter ſupra in ſcnam productum eſt; De hac enim pari ràtione conſtat, quod

monio(o) *Plutarchi* diſcimus, ita de eodem referentis: Eſt apud *Platonem, Herodicum Selymbrianum*, cùm incidiſſet in tabem, morbum inſanabilem, & primus hominum arti medicae artem exercendi corporis miſcuiſſet, diuturnam ſibi aliisque eodem modo aegrotantibus mortem redegiſſe. Ceſſabimus ergò mirari *Sydenhammium*, Medicum Anglum, equitationem tanquam novum ſpecificum anti-phthiſicum ſuis commendaſſe, imò in eandem ſententiam ingreſſum fuiſſe STAHLIUM

tàm pro ſanitate conſervanda, quàm deperdita reſarcienda, varia corporis exercitia commendaverit; Quia credebat, hoc artificio homines quàm maximè effoeminatos reddi poſſe robuſtos & alacres: Id verò praeſenti adſertioni, qua *Herodico* primam inventae *Gymnaſticae* gloriam vindicamus, minimè contradicit: Quia, quae *Aeſculapius* & *Medea* artis *Gymnaſticae* prima poſuere rudimenta, ea *Herodicus* perfecit & in pleniorem artis formam redigere adlaboravit.

(o) Libro de his, qui ſerò à Numine puniuntur.

NOSTRUM : Cùm *Herodicus* jam ſua tempeſtate experimentum optime cum ſucceſſu inſtituerit in proprio corpore, ſibique & aliis per varias corporis exercitationes tabis procuraſſe remedium. Eandem inventionem *Herodico* vindicat (p) *Plato*; Ille enim ſecundum Hujus ſententiam primus fuit, qui *Gymnaſticam*, quae prius in ſacrificiis atque ludis, nec non in bellicis exercitationibus auctoritatem atq; locum habebat, medicinae adjunxit, h. e. exercitationes, quae aliâs pro conſequendis praemiis & oblectandis hominibus in uſu erant, ab *Herodico* ad conſervandam ſanitatem & bonum habitum adquirendum traduxit, atque ita tandem artis formam induit *Gymnaſtica*. Iis denique adſtipulatur (q) *Plinius*, teſtaturque, quod (r) *Pr-*

(p) Lib. III. de Republica.

(q) Hiſt. Nat. Lib. XXIX. Cap. I.

(r) Nos credimus, diverſam hanc Lectionem dependere tantùm à levi permutatione literarum H & Π, quae ſunt literae initiales nominum Graecorum *Herodici* ac *Prodici* : In antiquis enim

Prodicus (Ita enim nonnulli legunt pro *Herodicus*) *Selymbriae* natus eam medicinae partem invenerit, quam *Jätraleptícen* vocant ſeu *Unguentariam*, quae variis partium humani corporis fricti-

 oni-

MStis *Hippocratis* promiſcuè ſcriptum legitur utrumque nomen *Prodici* aeque ac *Herodici*. Ut proinde fallantur, qui duas diverſas utrôque hoc nomine deſignari perſonas temerè ſibi perſuadent: Hinc ergò *Prodicus*, de quo *Plinius* loco antea allegato loquitur, reapſe diverſus non eſt ab *Herodico*, de quo nobis impraeſentiarum ſermo eſt: *Iatraleptice* enim ſeu *unguentaria*, quae frictionibus & oleorum illitu morbos curare, bonamque valetudinem tueri docet, & cujus inventionem *Plinius* tribuit *Prodico*, *Hippocratis* diſcipulo, eſt pars *Gymnaſticae*, & perſpicuum ſatis eſt, ſolam confuſionem duorum nominum peperiſſe hunc errorem *Plinii*, *Prodicum*, ſeu quod idem eſt, *Herodicum*, *Hippocratis* diſcipulum venditantis, qui tamen ejusdem Praeceptor fuit. Habemus eâ in re plenisſimè nobis conſentientem D. *Clericum* in Hiſtor. Med. Part. I. Libr. IV. Cap. II.

onibus & oleorum illitu morbos curare atque bonam valetudinem tueri ſatagebat. Atque ita ſecundum *Plinii* ſententiam *Reunctoribus* quoque Medicorum & *Mediaſtinis* vectigal invenit.

